12/21/55

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
Sloan Foundation

https://archive.org/details/panegyricusaeter00torq


AD GLORIAM
ÆTERNATURA GLORIA
Magni
JOHANNIS CHRISTOPHORI
KONIGSMARCHI.
Herois.
Comitis.
Belli Ducis.
Senatoris.
Gubernatoris.
POST FATA DEMUM
Virtute.
Honore.
Gloria.
ILLUSTRIS.
VIRTUTE
HONORE
Torquatus invenit et fecit.
I. de Viſscher ſculpſit.

Panegyricus
ÆTERNATURÆ GLORIÆ

Invictiſsimo ſemper Hoſtium Triumphatori
Fortunatiſsimo Sago Togaq; ſuorum Aſſertori

PIO. FORTI. FELICI.

JOANNI CHRISTOPHORO KÖNIGSMARCHIO

Gottico HANNIBALI Victoriarum HERCULI Virtutum ATLANTI,

QUEM
Ob Regias Corporis et Animi dotes
Regius ac Regni Conſenſus
DIXIT
Illuſtriſsimum de Weſterwijck et Stegholm Comitem:
Hæreditarium in Rodenburg et Neuhauſen Dn. et Poſseſsorem:
Ampliſsimum Suecorum, Gottorum Wandalorumque Regni Senatorem:
Fortiſsimum S. Regiæ Maiestatis Sueciæ Exercitus Ducem:
Necnon
Utriusq; Ducatus Bremensis et Verdenſis
Providentiſsimum Gubernatorem.
Deſtinatus.
ATQ;

HOC DIE

Qui laudum ipsius primus Factorum Supremus eſt
Non dolori, at ſolatio:
Non Funeri ſed ſplendori.

COELO. ORBI. POSTERIS.

IN GLORIAM. FAMAM. EXEMPLUM.
Expoſitus.
Æra Christi Milleſima Sexcenteſima Tertia
Supra Sexageſimam

AUTHORE
Alexandro Julio Torquato Frang.
L.B.T.N.K.M.C



Luſtra Oculis Spectator opus. Poſt præmia Belli
Surgit in Invidiam Stemmatis alta decus.

Stemma coronatum eſt, triplicisꝗ́ é caſside prodit
Quem circum-viridis Laurea fronde fluit.
VIRGO corolligeris, paſsis nil paſsa capillis,
Par facie eſt, quas fert dextra, referre ROSAS.
Obtinet illius cum CLAVI dextra LEONEM.
SIGNIFERUM ARMATUM cum CRUCE læva tenet.
Tali talis erat fax KÖNIGSMARCHIA vultu:
Nunc Heros clemens, virginis inſtar erat,
Nunc Miles, fortisꝗ́ Leo velut acer in hoſtem
Irruit, et fregit Bœmica clave ſola.
En mediis gaudent ſpatiis Inſignia quinis
Quorum præſenti singula mente nota.
Cum CRUCE trux unus LEO, Clavi ſe levat alter
Hic fiſcum, sic patiens fert pietatis Opus:

Cernis Equum, Cataphractus Eques cui inſidet, album,
Saxeus adverſa pons ubi parte datur;
Talis, cum Urbem par erat vicisse Pragenſem,
Et pontem turmis tranſiliisse, fuit.
En quantum in Signis inſigne Inſigne verendis,
Quod ſunt Pyramidum Corpora ſcæva trium;
Harum more, omni ſtat Königsmarchius ævo,
Æternumꝗ́ Ducis Gloria culmen habet.
Qui rigidus, qui blandus habet, qua clave recludat,
Sub Cruce qui signi fert patienter Onus.
Qui Pontem Invidiæ ſtruit, et qui fræna miniſtrat,
Æmula quiꝗ́ tenet nomina pyramidi.
Omne tulit punctum laudis, cum fœnore. quando
Nec Mavors, nec habet Juppiter ipſe magis.

ILLUSTRISSIMIS ac GENEROSISSIMIS

D. D.

Comitibus

CONRADO CHRISTOPHORO

ET

OTTONI WILHELMO

KÖNIGSMARCHIIS.

Paternæ Virtutis, Honoris, Gloriæque Hæredibus.

S. F. P.

I*Lluſtriſſimi* Heröes, *ſi Divæ memoriæ, Glorioſiſſimi Progenitoris Veſtri, Magni* JOANNIS CHRISTOPHORI KÖNIGSMARCHI, ÆTERNATURAM GLORIAM, *ne à quoquam, niſi ab* Apelle *pingatur, ſculpaturvè à* Liſippo, *rigido vetaturi circumtuleritis Macedonis* Edicto; *fruſtra fuerit* Ingenii *mei, in hanc Operam locata induſtria; ad quorum ſcilicet comparationem, ſtabit enervis, atque ſine ſucco & ſanguine, etiam Catulianâ cenſurâ, hærebit,* inauratâ pallidior Statuâ. *Sed vero, quid iſta* Famæ *blandiens, imo cæcutiens aura? tam anxiè ex penicillo captata, aut ſollicitè quæſita in Dedalo? vere aura, umbra, ventus, fumus, aut his minus. Aliter ſe* Artificum *opera: aliter* Ingeniorum *Monumenta habent: illa, alium atque alium poſſeſſorem ſortientur, nullis non ruinis expoſita; iſta, nunquam noſtra eſſe deſinent, atque cum deſiiſſe videbuntur, erunt immortalia. Quamquam hæc*

ipſa,

ipſa, per ſe, quam Nomini Veſtro deſtinamus, D. Parentis ÆTERNATURA GLORIA, *illuſtrior eſt, quam ut ab ære, & colore, hoc eſt, umbris & lapidibus aliquam ſplendoris accipiat acceſſionem; cujus nimirùm jam pridem immenſorum geſtorum atque meritorum radios,* Regnum, & Imperium, *cum admiratione, tum veneratione, coluit, & ſuſpexit. Attamen ſingulorum magnitudo, ut etiam in oculis* Orbis *utriuſque, atque* Poſterorum *memoriâ, ſpectabilis eſſet ac immortalis; exigebat operam, laborem, induſtriam; & quo ſolo ad Æternitatem vivitur, merebatur* Ingenium. *An noſtrum tantum præſtare potuerit ingenium, ut illuſtriſſimo Nomini, afferret memoriam, aut adderet immortalitatem, neſcio; fecit tamen, ut ſpectaretur: cum plura vellet, pretium ſuum & induſtriam, in luctu communi perdidit, & conſumpſit. Quod me attinet, optaſſem vivo potius gratulari Heröi, quam extincto lemniſcatam laudationem adornare, nempè breviſſimam mortalitatis illecebram, & peritura cum chartis ſolatia lachrymarum. Sed, ô noſtram omnium vitam! ô vota mortalium improvida! quæ, contentione non raro prævalidâ mentis emittimus, & quodammodo jaculamur ex pectore; facimuſque etiam alata, non, ut ad Signum citiùs advolent, ſed ut transvolent potius ultra Signum, celeriuſque à Nobis aufugiant, ut velocius diſſipentur. Igitur in eo ſaltem, quo* Illuſtriſſimo Heroi, *immortalitatem adſtruimus, redimenda erunt vota mortalia; quorum maximus fructus, eſt poſthuma* GLORIA, *cum* Fata, *vota ſuperarunt, & noſtra exceſſerunt deſideria. Hanc, à me, hoc* DIE, *(quo primum Famæ incipit vivere æternitas,) placidè accipies* Magnæ Mentis, MAGNA PROGENIES. *Planè,* GLORIÆ *iſtud, ſed* ÆTERNATURÆ, *Monumentum eſt; quo, ſi laborem non probavi, at bonam mentem teſtatus ſum: & ſi pretium non attuli; nihilominus exhibui duraturæ erga Illuſtriſſimum ſanguinem propenſionis, obſequium. Utrum-*

trumque Tuum eſt, ô Magne Sanguis! *atque erit beneficium; me, & voluiſſe, &, potuiſſe: velle deinceps ac poſſe. Siquidem hoc ipſum*, QUOD SPIRO, ET PLACEO, (ſiplaceo) TUUM EST. *Ita credit*

Devotus ad obſequia

ALEXANDER JULIUS TORQUATUS à Frangep.
L. B. in Novy Dominus in Monoſtyr, & Cirquenic. Quondam
S. R. Majeſtatis Sueciæ, ab Expeditionibus Scythicis, Vallachicis,
& Tranſylvanicis, Commiſſarius, & Ablegatus.



Suſpice quem coluit cum Teutone Gottus ATLANTEM
Suſpice campeſtris Sydera fixa DVCIS.
Si vultum, et frontem caſtris hoſtilibus offers
Sola hæc adverſas pellet IMAGO manus.

J. v. Meurs ſculp.

GOTTICI HANNIBALIS, ſed Germanæ virtutis ac indolis, *Æternaturæ* GLORIÆ monumentum, an ornamentum? aliam in partem dictionem noſtram abripit, quàm, quò, more inſtitutoque multorum, curſum ex *Occaſu* ſuo, dirigere conſuevit. Revocat enim nobis in memoriam, & quaſi ſub aſpectum ponit DIEM illum, non ordine ſuo fatalem ac funeſtum, ſed dierum longè pulcherrimum, quo, *Illuſtriſſimus atque Magnanimus* COMES JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS, *Fortiſſimus Hoſtium Triumphator; Fortunatiſſimus ſago togâquè Suorum Defenſor;* SOLIS inſtar, magna Terrarum Orbi conferentis beneficia, hodiè demùm, quaſi denuò viſurus ac victurus nobis exoritur, atque lucem ſuam, quamglorioſis geſtis pleniſsimam Cœlo intulit, terris quoque ſuſpiciendam relinquit. DIEM, ipſis ſyderibus candidiorem! qui, ab incognito ferri & corporum robore, à vitæ ac mortis diſcrimine, KÖNIGSMARCHIANO ſplendore, quàm ſuo ſydere, illuxit illuſtrior. DIEM, verè ſerenum, & Soli concolorem! cujus *Æternaturæ Gloriæ* merita, per illiſas cominùs lanceas, per arma latè

minantia, perque mixta caſibus vulnera, tot Coronis, Victoriis, Triumphis, illud Æternum Numen, illa vis cœleſtis, ille eventuum Belli ſupremus Moderator, provexit, vexit, teſtatus eſt. Quare in hac ipſa *Æternaturæ* recordatione GLORIÆ, importunus ſim ac invidus, ſi funebri fungar officio, aut memoriam jacturæ incomparabilis, mœſtitiâ orationis comitabor. Neque enim lugere decet, quando tanti HEROIS ingentia meritorum decora, recentem retinent exprimuntque lætitiæ ſenſum: atque indecorum arbitror, ubi KÖNIGSMARCHIUS immortalis eſt, eò lachrymas & querelas intrudere mortalitatis. Igitur irretortis ſpectabimus oculis Solem, DIEMQUE ſed KÖNIGSMARCHII, *cujus triumphos ultimi canunt Seres*, cujus æternaturæ virtutes æternæ admirationis veneratione adornatæ, ſeros in Poſteros transfunduntur. Quamquam, non ea mihi lege DIEM hunc, quem laudem, ſepono, quaſi non intelligam, tot annorum, quibus VIXIT, ſpaciis, plures laudes deberi: ſed quia hic ſolus DIES par omni eſt, qui à ſupremo funere illuceſcit, longè annis maturior, diuturnior ſæculis; cujus periodo ILLE quidem *Beatus* dici poteſt & meretur, Nobis verò licet, citra corruptum livoris ac invidiæ affectum, immenſas ejus virtutes, & ingentia geſtorum decora, gratiſſima immortatione venerari. Ergò favebitis, quotquot *Invictiſſimi* HEROIS glorioſa merita, vel digna recordatione celebratis, vel egregiâ virtute æmulamini; favebitis (inquam) ORIENTI DIEI, donec flectat in MERIDIEM, indè tranſeat in VESPERAM, & ſuperatâ *Eclipſi* abeat in OCCASUM; atque Ego ipſe in triſti NOCTE dicere deſiero.

Nun-

NUnquam non magnus Magnorum ANIMUS, audere difficilia, urgere impervia, arduis deſudare, ardere eximia, atque ad auguſtiſſimos quoque, per anguſta, ſublimium geſtorum Curules, inſtar Solis elevari, & quaſi triumphaturus aſcendere, conſuevit: quippè VIRTUS, *humi ſerpente vinciri non vult hederâ, laurum amat.* Sic, cognomento Magni, Majoris ſucceſſu Victoriarum, bellicaque virtute Maximi *Alexandri*, altiſſimæ Gloriæ avidiſſimus Spiritus, ſi pertinaci Marte ſuperbas hoſtium fregiſſet cervices, ſi poſt ſuperatos imbre ſanguineo labores, immenſum domuiſſet Orbem, magnum atque ingens GLORIÆ ſuæ ſe erecturum apud Poſteros credebat monumentum. Sic quoque *Romani*, olim rerum Domini, ut Nominis ſui virtute adeptam Gloriam Poſteris commendarent, dura pati, fortiter agere, armis occupari, bella gerere, pulchramque ferre per vulnera mortem, voluerunt. Hinc Roma vetus, quot Cives, tot numerat Heroes; quot Senatores, tot nuncupat Reges; quot cenſet Natos, tot reputat PATRIÆ PATRES. Durat etiamnum virtus admiranda *Fabiorum*; viget *Scævolarum* patientia; perennat *Torquatorum* fortitudo; quorum ſanguine Romana GLORIA irrigata, meritò ad Urbis, ac Orbis crevit & aſſurrexit Imperium. Ita glorioſa VIRTUS, non mollibus *Sardanapali* reclinatur otioſa lectis, non *Sybaraticis* cum Epicuro evirata apricatur deliciis, neque in olidis, (ubi ſpumantia mero propinantur carcheſia) temulenta reſidet tabernis; aut denique otioſa Syracuſano in pulvere, ſua ſuorumque vel pingit, vel fingit nomina: ſed martio ſudori addicta, ſed armis cincta, ſed ferro rutila, demùm *patiens pulveris atque Solis*, didicit, docuitque aſſueſcere duris, Campos ſulcare gladiis, Urbes ſternere machinis; tandem poſſe quoque COELUM *Viribus vinci ſuis.*

TAntæ VIRTUTIS *merita*, *atque Æternaturæ* GLORIÆ *ornamenta*, voce omnium liberâ, liberali dexterâ, non Civium duntaxat, ſed & Exterorum, nec ſolum calculo Patrio, verùm etiam ſuffragio peregrino, TIBI, *Inclyta* KÖNIGSMARCHIORUM DOMUS; TIBI *Magnum Sæculi Decus*, contulit ALTISSIMUS. In Tua ſiquidem Virtutum fragrantiſſima Areola, in Tuo bellicoſo armorum Sacrario, & togata in Patriæ ſalutem fragrant conſilia; & ſagata in potentiſsimorum Hoſtium perniciem ſplendeſcunt inſignia. In Te, Magni Præfecturarum Præſides; ex Te, ampliſsimi Regnorum Senatores; Tecum fortiſsimi Exercituum Duces, ſunt, veniunt, oriuntur. TIBI inſunt flores, pontes, cruces, enſes, vexilla, clavæ, claveſque, inſignia: ſingula, rerum, armorum, conſiliorum, ſtatuumque privata, an etiam publica! ornamenta. Tu, communi *Suedici*, *Gottici*, *Vandalicique Imperii emolumento*, è nobiliſsimorum antiquiſsimorumque in MARCHIA Equitum enata auſpiciis, Prædeceſſorum Tuorum, ac deinceps Poſterorum fortitudine, toties provocatam, hoſtium furoribus, Regis, ac Regni ſalutem, feliciſsimis armis, ac fortiſsimâ dexterâ vindicaſti. Tua ſunt decora, de *Aquilis* intercepta ſpolia, de Bohemis erecta trophæa, de variis Gentibus erepta ſigna; atque toties retardata, fractaque, quoties ingruerent hoſtium vires, arma, & agmina. TU longâ ſerie, quaſi ſucceſsione, & virtutis merito, tanquam hæreditario jure, Legum Dictatores, Legionum Duces, & Patres Senatus, Orbi Gottico dediſti: qui, cùm dexterâ, tùm conſilio, communem erigunt Regni manipulum; REX, ipſorum ſalutes metit, & immarceſcibiles Æternaturæ GLORIÆ culmos, in laurea, aureaque Honorum ſerta digeſtos, ad ſeræ Poſteritatis tempora, tempore perennante appendit. Si ſplendor

dor hodiernæ Lucis, è vetuſtiſſima Königsmarchianæ Familiæ Gloria, è cœleſti virtutum illius pulchritudine, atque ampliſſima Honorum dignitate promanans, ſatis ad Herois Noſtri ſplendorem atque rerum commendationem afferret præſidii, haud operæ pretium eſſet, à clariſſimis veteris faſtigii laudibus mentem aliò, ſtylumque deflectere. Nam cui nota non eſt Königsmarchiani ſanguinis vetuſtas & amplitudo? quam *Ericus* & *Albertus*, potentiſſimi Suecorum, Gottorum, Vandalorumque Reges, à tribus retrò ſeculis complexi ſunt, atque propter ingentia erga ſe merita, maximis muneribus extulerunt. Poſſem ego etiam moliri, ab Henrico, hujus Nominis primo, atque enumerare numerum penè innumerabilium gentilium Heroum, quorum Virtutibus acquiſita, nō empta dignitas eſt: & prædicare tot *Henricos*, *Johannes*, *Chriſtophoros*, *Chriſtianos*, *Albertos*, *Benedictos*, *Ericos*, *Oläos*, *Carolos*, *Laurentios*, omnes Königsmarchios, quaſi Marchiâ deductos Regulos, omnes Æternaturæ Gloriæ Candidatos. Quorum, dum ſpectabilem geſtorum gloriam intueor, infinita ab iis acta admiror; pro regia incolumitate profuſam ſalutem veneror; atque in puro DEI cultu obſtupeſco Pietatem. Tales ſe iſti omnes ad votum formavêre Patriæ, quales Roma voluit Fabios, quales Græcia genuit Achilles, quales Carthago luxit Hannibales. Sanè divina Providentia contigit, ut Königsmarchiorum ſanguis, ante plura ſecula magnus haberetur, ne in veriſſimis geſtarum rerum præconiis, poſt fata quoque *Livor* & *Invidia* triumpharent. Ut quiſque intelligat, non extorſiſse Königsmarchios Sueciæ Nobilitatem, ſed majorem meruiſſe: neque precariò cœpiſſe *Summos* haberi, ſed propriis meritis ad eam magnitudinem excreviſſe. Verùm omnes & ſingulos, ſpontè

hoc Die prætereo, ne videar priſcos Herois Noſtri Avos, Atavoſque, & vetera gentilitiæ Gentis nomina, velut defoſſum theſaurum, in Nocte refodere. Neque enim longinquo ſplendore indiget, qui proximè triumphat in ſuo, cujus plenam jam lucem, antequam admiremur, Auroram expectemus neceſſe eſt.

Aurora Nativitatis, & pueritiæ. Bonum Factum! hæc ipſa, quam deſideramus Lucis origo, tàm ſplendida, quàm glorioſa, in ſpem futuræ felicitatis hodiè exoritur in hoc Orbe, terrarumné dicam? an in Cœlo? neque enim aliter appellare fas eſt Patriam lucis; &, ubi Aurora naſcitur, ibi Cœlum ſit, oportet. Exoritur (inquam) ad Lucem, ex illuſtri Ketzliorum, & Blumentaliorum ſanguine, Illuſtriſſimus Comes Joannes Christophorus Königsmarchius; exoritur, velut optatiſſimæ voluptatis Aurora: mox datura Solem, cujus calore, poſtquam Anteceſſorum ſuorum incaluerit gloria, in virtutem matureſcet; de virtute, ibit in Honorem. Hoc eſt, naſcitur ex Conrado, ac Beatrice, nobilitate, honore, gloria, feliciſſimis Parentibus Joannes Christophorus Königsmarchius, veteris domus ingens decus, magnum ornamentum: quod ab Heroe Noſtro non tantùm exornandum, verum etiam amplificandum fuit, poſtquam juſtâ copiâ, in unum venarum viriumque alueum, tanta ubertas ſanguinis influxit; quæ quidem uno hoc contenta quieſceret, niſi illam amplificatam, auctamq; de ſuo, majori ad Poſteros exemplo poſteà derivaſſet. Naſcitur, velut inſitiva quædam gemma, delibrata propemodum ex ipſo ſinu Virginis, aut potius conchâ, & medulla virtutis, ut gentilitiam de Floribus corollam, id eſt, ſigna, & inſignia domus, hac una, contexendo exornaret. Pretioſior gentilitiis floribus illigari non potuit lapis, quàm ille, cui ſua ipſa manu Virtus *Honorem*

& *Gloriam* inſculpſit. Planè, ex iſta, quam videmus, luce, hic Sol emerſit, atque paribus cum Sole gradibus; ſudore, non blanditiis; labore, non voluptate, aſcendit ad illam, quâ nunc Cœlo & Orbi lucet, Æternaturæ Gloriæ majeſtatem. O indolis prærogativa naſcentis! ô ſplendor Auroræ, maturus antè, quàm exortus. Quid nobis in mentem venit ſuſpicari, dum fortè ſuſpicimus Herois magnanimi natales & ortum? Scilicet, candor eſt primus, ac radius pulcherrimi Solis; eſt Aurora jam proximæ lucis; eſt feliciſſimæ diei principium. Verius: eſt tyrocinium magnitudinis, generoſo jam *Sanguine*, poſteà quoque *Virtute*, purpuraſcentis. Adeò, ut ſive glorioſa Königsmarchianæ Familiæ antiquitas, ſive ortus celeberrimi claritas, ſpectentur, prorſùs in *Illuſtriſſimo Heroë* elucent, atq; ſic lucent hodiè, ut quamlibet ingenii, linguæque facultatem, infra ſe videantur relictura. *Verum enimverò*, magnum fieri virtutis eſt, naſci Fortunæ: quam fortè prædicare, officii eſſet, cum hîc, virtutem recenſere, ſit debiti. Liceat igitur nobis, quod etiam à vilioribus fieri conſuevit, liceat bona ſigna bonæ diei, aut ſpem futuræ ſerenitatis vel tempeſtatis, ab Aurora auſpicari. Profectò, ut à regiis factis nihil deſcivit Nomen, ita jam in faſciis aſpectus regius, cujus in oculo, tanquam in bono lumine, ſerenus animus magnarum rerũ imagines & ſimulacra concipit. Indoles, præveniens ætaté, eo impoſterum ſecutura Heroem gradu in campis, quo cœpit in cunis. Vultus, qué, ut Virilem adumbraret natura, planè perfecit Martialem. *Animus*, ingens atq; capax, & nullius otii vel author aliquando, vel hæres. Nimirum tantũ animum, ad robuſtiſſimam viriũ celſitudinem jam tum informaverat divina providentia, cum corpori animam inſpiraſset. Iam tum, ſemina illi quædã Martialis indolis præ cęteris aſperſit, quæ ſupra ętatem adulta, incredibile dictu, quantũ profecerint.

Quis

Quis enim hujus in vultum ac mores unquam aſpexit, quin ingentis in eo animi ſpecimen ſpeciemque perlegerit? Ferocior aſpectus, ſuique jam ſecurus ac negligens; nihil in reliquo frontis & corporis habitu, nihil in moribus vitaque meticuloſum, otioſum, iners. Ut è Viris dignitate non magis quàm ſapientiâ conſpicuis, minimè defuerint, qui ita pronunciare auſi ſint: KÖNIGSMARCHII *genium perpendimus; ejus certè ingenium, magnum quiddam pollicetur*: &, *Habebit olim Orbis, quem celebret, pugilem; habebit Roma, quem metuat, Hannibalem.* Excurrunt alii, poſtquam infantiam exceſſerunt, ad ampliſſima liberalium artium ſpatia, planéque triumphant, quibus ad communem literaturam eruditionemque formandis ipſamet ſapientia molitrices applicat manus. JOHANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS adultior factus, aliter à Majoribus intellexit; nimirùm, excellentiſſimos animos, rarò curarum, quas amant literæ, videri patientes, &, ut quiſque ingenioſiſſimus eſt, ita laborum in ſcientia comparanda intolerantiſſimum haberi. Quamquam etiam non deſint arguta quædam capita, quæ, cum operam diſciplinis navant, tantum famæ ſuæ detrahi putent, quantum ſtudii ac laboris adjiciunt; ac laudem ingenii quærant, oſtentatione & velut venditione quadam ignaviæ. Non ita Heros Noſter, ut ingenioſior eſſet, ſolertior factus, ſolidum experientiæ conſecutus eſt nomen, vacuum & inane literarum, quod in ſpeculatione plerumque conſiſtit, contempſit. Tam avidus exiſtimationis non fuit, ut gloriæ famam mercari vellet ab otio literarum. Satis habuit, naturæ dici, quod ſcire poſſet; maluit laboris eſſe, quod ſciret. Cumque nihilominùs ita valeret ingenio, ut minimo illi ſtudio opus eſſet ad literas, ita viciſſim operam adhibuit, nihil ut ingenio fidere videretur.

tur. Hinc prima cura fuit, ne inter leves puerorum luſus, levibus haud addictus caderet illecebris. Fortiter ambulare, currere, ſudare, viciſſim ablui, & natare, pridem aſſueverat. Mox inter pares, formare cuneum, & velut in hoſtem ſuſcitare iras, bellandi modos pingere, aut dolis nodos innectere, vel explicare ab aliis implicatos, denique luctari, agitari, pugnare pugnis, aut vultu minari: hæc illi demum operoſa ſpectacula, hæc, feriæ nugæ. Parciſſimus temporis, diſcendi opportunitatum avarus, inanium immemor officiorum, ſolius affectator & aſſecla militaris diſciplinæ. Tubæ, cornua, tympana, erant aurium illius velut ſonori cantus, aut chordarum ſuave ſonantium lenimenta. Sanè vocem alio mercari ſub cœlo non potuit, quàm, quæ ex armorum ſtrepitu primis labris inſedit. Ipſam colliſionem ferri concidere minutatim in ſonos, & aciem canora veluti in puncta diſtinguere, pluribuſque momentis maximum ejus uſum expendere, ut argutas indè vibrationes, & bellè cadentes ad numerum ictus componeret, conſuevit. Ita hic militaris ſtrepitûs, non cantûs Colluſor, quotieſcumque vel ſimulato prælio congredi contigit, vibratam celerrimè manum, non tonum adhibendo, atque pedem pede, non vocem voce premendo, ictum, non ſuſpirium ſuſpendendo aut revocando, velut Muſicalis artis ultimas appendices concinnabat. Nullum ſine exercitio perire paſſus eſt diem, quin vel animum, vel pugnum, ad Martialium Virium ſatietatem intenderet, aut remitteret. Nullam tranſire voluit abſque ſudore ac pulvere horam, & vel juſtas reſpirationum ferias fieri voluit militiæ vectigales. Talis Königsmarchiorum ſumma erat ludorum, talia præludia futurorum triumphorum. Verum tempus iſtud, quid aliud, quàm Aurora fuit, quæ nonniſi ipſa Solis eſt pueritia, ejuſque velut ætatis

diur-

diurnæ ſplendidum rudimentum. O noſtram incredibilem felicitatem! qui longè veriùs quàm Creta, parvi Jovis gloriata cunabulis, primis Herois noſtri Virtutibus gloriamur; ac velut AURORÆ populus, ſub ejus principio ætatis, velut placidiſsimi ſyderis genio, apricamur! Si è Gigantis pollice, quem Satyri cubitis metirentur, vaſtam reliqui corporis molem Græcus pictor conjiciendam propoſuit: ſi è ſtadio Herculeo, proceritatem granditatemque Herculis, neſcio quis Philoſophorum aſſecutus eſt: Quidnî ex his quoque, quæ jam enumeravimus, futuram Herois tanti magnitudinem liceat opinari? Quæ, quamquam per ſe, in ejuſmodi ætate magna meritò habeantur, majora tamen ex his ipſis, quæ poſteà dicturi ſumus, veluti ex Sole, maximũ oſtendent diem, ſplendorem, dignitatem.

DIES plenioris ætatis, & facto-rum.

ADULTIOR FACTUS, ET MULTIS ACCERSITAM LABORIBUS ſortitus maturitatem, apud *Sereniſſ: Principem Brunſvicenſem & Luneburgenſem, Fridericum Vlricum*, etiam inter mollia Aulæ lenocinia, dum fortia facta meditatur, non jam orientis, ſed urentis virtutis radios explicavit. Sanè, hîc Aula fuit, cujus tot veluti rivalibus, ſummam gratiam ambientibus, pauci quidam ſuis votis potiuntur, quod illius felicitatis arbitrium uni tantùm credatur *Fortunæ*. Quæ, ſicut ſua ſponte non paucos Principibus conciliat, ita multos, artificio & calliditate deſtitutos, de tanto ſæpè faſtigio præcipitat. Adeò, ut majoris illam felicitatem prudentiæ ſit retinere, quàm aſſequi. Formidoloſa conditio! ſi hinc aliquem contingat excidere, & hîc labi, nã qui ad magni favoris ſacramentum admiſſus, ſemel ceciderit, vix poterit ab ipſo caſu & ruina, abſque odio aut faſtidio, oculos, ne dum pedem, attollere. Ita in Aulis, non tàm aboleri amor ſolet, quàm contrariis affectibus accreſcere. Lubrica res Aula eſt, & alea periculoſa; in cujus velut Lunæ incon-

conſtantiſſimo lumine, an limine? tàm facilis eſt interitus gratiæ, quàm Vitæ. Ut prudentioribus magnâ experientiâ Viris maximè mirum videatur, homines Aulæ deditos poſſe in eâdem tàm ſecurè vivere & converſari, neque de periculis & levitate anxiè ſollicitos, ſine metu, luſibus, ſalibuſq; vacare & occupari. Sunt alii, qui ſine intermiſſione, etiam potibus ac voluptatibus evirati & enervati, in ipſo vel flore ætatis, vel generis ſorte, annos & ætatem conſumunt, genus & ſanguinem proſtituunt. Alii mendaciis atque adulatione ſic potentes, ut in Principem quoque ſupercilio utantur, ac penè regnent. Plerique, ut alios omittam, in diverſos tranſeunt affectus, mox exundaturi altiſſimo cupiditatum æſtu, in ſuum nihilominùs vitiorum Oceanum ſtata mutatione redituri. Quid hîc egit ſolida, in tanta levitate, pernicie, ſcelere, mens KÖNIGSMARCHII? profectò in ſingulis, mirum quidem artiſque pleniſſimum hoc ſervitutis genus, eorumque jam ſordidum, demiſſumque animum, jam procax, ſubdolumque ingenium, contrariis officiis exprobrabat, damnabat, execrabatur. Nam ut Aulam intravit, apparuit ſtatim in Principis ſui nutibus, animi facilitas quędam, &, quamcunque in partem vocaret, jucunditas obſequentis; apparuit Corporis agilitas, robur, & diſpoſitio membrorū conſtans & firma, curſui, venatui, pugillatui, cæteriſque virium experimentis aptiſsima: ſed mentis atq; animi, non ad Aulæ nati poppyſmata & inquinamenta, verùm ad plena roboris & fortitudinis ſtudia accenſi, non accendendi, maxima elucebat dexteritas. Enimverò Athletam inclytum, jamq; re, nomineq; non tàm hominū, quàm Regum, ſine exemplo præſtantium, illuſtrem, arbitror diviniore quodam ſatu, quàm reliquum Aulicorum vulgus ac turbam, in lucem datum, divinæ plus auræ, quàm Aulæ, & quàm ferret menſura mortalium cæterorū, ſuum

ſuum ipſum in pectus detuliſſe. Viderat Aulam, & averſabatur pompam illam indecoram, & peregrinas cultus mollioris ineptias; & quantum corpori comendo tribuebatur ab aliis, tantum ille, exercendo in Sole & pulvere Corpus, laborabat. Noverat, non calamiſtratam molliter, non cincinnatam muliebriter, aut ceruſſatam juveniliter, & quaſi ſtigmaticam, *Virtutem* eſſe: ſed incultam, ſed gravem, ſed verendam; tanquam reginam, matronali decoram vultu, cultuque graviſſimam; in ferventibus, duriſque, non mollibus & languidis animis reſidere. Intellexerat, illam non alieno decore, ſed nativo; nec medicatâ formâ, ſed ſuâ; neque colore venuſtatis, quem fucus illinat, ſed quem proprius ſanguis modeſtè diffundat, in fortium virorum pectoribus, non delicatarum mentium palato, an palatiis? habitare, regnare, triumphare. Negligens VIRTUS quidem & incompta, ſed habet nihilominus hîc ſuam negligentia Majeſtatem. Hujus ductu & auſpiciis enutritus JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS, jam ab ipſis penè cunabulis, maximè verò in hac ephebæa ætate, capaciore quadam animi comprehenſione, etiam inter molles & delicatas Aulæ cupedias fortiter occupatus, omnia exercitiorum genera, currendi, venandi, digladiandi, haſtandi, & equitandi, complexus eſt; ut ad intimum cujuſque deſcenderet, videretque quid ultimum. Sed in iis facultatibus plurimum excelluit, in quibus potiſſimùm *Mars*, non *Ars*; *Bellona*, non *Minerva*, poſteà decurrerent; denique, quas, non luſus, riſuſque, ſed pugnus & capulus; non luxus & mollities, ſed robur & fortitudo, honeſtarent. Quæ ſi ita ſe res habet, videamus per Deum immortalem! quam ferre ſententiam de grege mundulorum delicatulo debeamus? Qui vitam inter mollia conſectantur,

ſectantur, & nihil habent uſquam penſi, quàm, ut ſint in ornatu, in odoribus, in calamiſtris; ut capilli madeant unguento, ut cirris fluentibus, æquali fimbria cincinnorum ambitioſa circum tempora coronentur; ut tutulo frons gravetur, ſuggeſtuque etiam adoptivæ comæ; ut aptè veſtibus exprimantur artus; ut gemma fulgeat, atque accendatur articulus; ut mundi, ut compti, ut compoſiti, factique tanquam ex picturâ & coloribus toti, prætereuntium oculos, animoſque, ad ſeſe, velut ad emporium deliciarum aut officinam, alliciant, & cum vaniſſimi Philoſophi gloria, verè *omnia bona ſecum portent*. Nihil hîc ego pronuntio, nihil affirmo; nec penes me, vel hanc ipſam cauſam, vel ejus arbitrium, volo. Verùm ab ipſo Illuſtriſſimo Comite audivi, ſæpè cum diceret, exquiſitiorem, ne dicam meretriciam, corporis elegantiam, ac nimis ſuperſtitioſam induſtriam, exquiſitioremque, quàm deceat virum, pulchritudine atque fortitudine animi deſtitui. Merces, ſupervacaneus nec ſuus ornatus, ſuſpectas facit, parumque vendibiles arguit, & fugat emptorem; quippe vitium, cui foris adulatur, intus accuſat. Sibi, quàm aliis, & virtuti, quàm coloribus, placere malunt magnarum mentium, & *Æternaturæ Gloriæ* Candidati. Ut vacuæ ſunt, omnique ſupellectilis honeſtamento deſtitutæ domus, quæ Domino procul agente non incoluntur: ſic fieri vitiorum lacunas atque inanitates ampliſſimas oportet in pectore, cum animus foris eſt, & in extimo corporis ornatu cultuque peregrinatur ingenium. Non fucata, non cincinnata, JOANNIS CHRISTOPHORI KÖNIGSMARCHII juventus, in quâ animi perſpicacitatem incredibilem, & plenum quaſi DIEM intelligentiæ, non radiorum, in ipſo ſtatim Aulæ lubrico limine perceperat. Accedebant duriores mores, & ad aulicæ ſocietatis poppyſmata non faciles, non

in cœtibus facundi, non extemplò faceti & ſalſi; ſed cogitabundi, atque in ipſo corporis ornatu cultuque, tanquam ex foco Fabii, vel aratro Fabricii, ad præliandum, non luxuriandum decenter accincti; denique ad omnem virilem incuriam, negligentiamque ſolummodò compoſiti. Quam ſanè ſupellectilem mentis & corporis ornatam ac ſplendidam, *Natura*, non equidem noverca, ſed Genitrix, elaboravit & doti dixit *Animæ* illi *magnæ*; nimirum, ut *Martis* quaſi conjugium affectare, nullo repulſa metu, poſſet. Sunt iſta quidem, ut dixi, ejuſmodi: verùm, cum fortè ſuffragia venor ex ſuperiorum ætatum recentibus & antiquis monumentis, quæ olim *Heros noſter* magno laudum ornamento apud æquiſſimos illius Virtutis æſtimatores & arbitros ſortitus eſt, incidi in *Magni Friderici Principis* judicium. Hic, poſtquam apud ſe, ſingula KÖNIGSMARCHII juvenis acta expendit, propè omnium ſummam præconiorum, quaſi pompam explicavit. Cum enim *Illuſtriſſimus Heros*, expleto aulici miniſterii tyrocinio abire decreviſſet, aut veriùs, ne pravis aulæ lenocinantis blandientiſque corrumperetur moribus, ſtatuiſſet Corpus animumque ſubducere, & PRINCIPI faventiſſimo vale dixiſſet: Princeps eum complexus, exoſculatuſq; præclaram indolem, his penè verbis proſecutus eſt abeuntem: *O fili,* (inquit,) *ô Juvenis! ut ſis vitalis, neſcio metuamné magis, an voveam? Tu tamen interim creſce, & matura: Quodſi fata aſpera rumpas, nec ſemper breves ſint parentum deliciæ; profectò noſtrum hoc ſæculum habebit Herculem ſuum: tuquè oſtendes exemplo tuo, fortes creari fortibus, atque Martiales Spiritus provenire vel hoc tempore, qui ſuperiorum* GLORIAM, *quæſitamque demeritis ſuperbiam non invideant.* Dixit, atque ad *Sereniſſimum Saxoniæ Principem,* HENRICUM JULIUM, Ducali gratia dimiſit. Erat iſte Prin-

ceps

ceps, non Ducali tantùm eminentia, ſed armorum quoque gloriâ ſplendidus & illuſtris, quem Imperatoria *Ferdinandi* Majeſtas adeò ſemper aut amavit, aut coluit, ut non Ducis ſui, ſed Parentis loco duceret. Nec paſſus eſt *Henricus Julius* fidem ſuam Cæſaris benevolentia ſuperari, ſiquidem plura ea tempeſtate loca, arces, & præſidia, quæ ab Imperatoris partibus deſciverant, & armis, & authoritate, ejus gratiæ & imperio reſtituit. Huc poſtquam ſe Illuſtriſſimus Heros contulit, hunc Principem poſteaquam acceſſit, illicò, ut frontis Mavortia conjecit ſigna, ſuſpexit indicia, ab eodem miles inauguratus, ſub Romanis primùm Aquilis & ſacramentum fidei depoſuit, & militare ſtipendium ſuſcepit. Et merebatur quidem ſtatim ad initium, verſatus in militaribus ſtudiis animus ad aliquam militaris functionis dignitatem deſtinari. Jam enim tyrocinium evaſerat; jam ad pectus, ad medullam, ad cor uſque militarium exercitiorum intelligentia penetraverat. Cum autem etiam naturâ forti, nec tantùm militari prudentiâ inſtructo animo, ad Principem armatum acceſſiſſet, ut ſingulis major accederet, merebatur profectò inter magnos haberi. Sed ille ſuapte modeſtia ab eorum conſuetudine declinavit, qui, *privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per ambitionem habent*; etſi militares ſine palma coronas, & honores abſque meritis obtineant, aut emant frequentiùs, tamen poſt ipſa accerſitæ ambitionis præcipitia, cum brevi & inglorio imperio perfuncti ſunt, non ſine dedecore ac ludibrio, tanquam inhabiles exploduntur. Intellexerat etiam magna mens Herois, quantum momentum vertatur in omni munere: & ſi bellicum intuearis, certè militares honores, dolores eſſe; & præmia, prædas ſanguinis aut laborum. Igitur, ut maximus animus, ita infimum militiæ
elegit

elegit gradum, quaſi multijugis militarem ſcientiæ cognitionem nunc primùm à fundamentis addiſcere vellet, aut illius uſum jam tantùm adverteret, aut denique guſtum, curſim alibi ac velut in tranſitu, leviùs non altiùs delibaſſet. Jam talis erat, cùm primùm Militis indueret nomen, ut non tantùm inter viliores gregariorum militum functiones excelluerit, verùm etiam majorum ſuperaverit officia; ut quàm pauciſſimos æquales haberet, ſuperiorem neminem, niſi quem *livor & Invidia* excepiſſent. Mox *Decurionis*, poſtea etiam *Signiferi* nomen aſſecutus, re ipſa oſtendit, quantum virtute meruerit. Quo in munere, ut varius bellorum uſus eſt, jam per aſpera & convexa, jam per ardua & adverſa, tendebat ad numerum militaris perfectionis abſolutum, eumque non in otio ac mollitie, ſed perpetuo ſudore laboreque aſſecutus, non niſi rara & inſolita, raro quodam ac inſolito exemplo exequebatur. Attentus ſemper ac peruigil, ſive quia perfidiam in officio verebatur, ſive ut pulcherrimo militaris diſciplinæ auctoramento fidem ad majora obligaret; ſive quia regium eſſe munus arbitrabatur ac ſuum, ut KÖNIGSMARCHIANÆ GLORIÆ Vexillum toties in hoſtium caſtra idem ipſe, cujus poſtea ab aliis vexilla gererentur, inferret, referretque, quotieſcunque triumphum cruenta occaſio præmiſiſſet. Ideò ſublime militaris gloriæ ſignum fortiſsimis lacertis extulit, ut quàm breviſsimo temporis intervallo *Tribunitiam* quoq; mereretur poteſtatem. Hic, nemo illo in laboribus conſtantior, in exercitiis durior, fortior in exemplis exſtitit. Teſſeræ militaris diſpenſator, Caſtrorum ſtator, obſervator excubiarum, quorum ſingula per ſudorem habita, per laborem acquiſita, non minorem *ei* gloriam, quàm apud pares æmulationem, atque admirationem in Principe, excitabant. Sanè, quouſque huic muneri præfuit,

fuit, eò uſque ſpeciem militaris facultatis omiſit nullam, quam ſibi familiarem non fecerit ac propriam. Nam ſi pedeſtris militiæ officium ſpectes, hinc prima duxit maximæ experientiæ ornamenta, ut coronamenta quoque majoris indè acciperet dignitatis. Equeſtre autem munus non refero. Quis enim in equitando firmior, in decurrendo vehementior, in inſiſtendo ſolidior? Planè, ab Heroicis pueritiæ rudimentis, (quando præcipuum ingenii argumentum in parvis, exercitium eſt,) Heroicum Equeſtris Ordinis cum dignitate aſſecutus eſt præconium. Pollet alius viribus, alius ingenio; valet alius humeris ad ferendum, alius manibus ad pugnandum; eſt, qui excellit in pedeſtri ordine, ad equeſtrem torpeſcit: equitant alii, ſed ambulare minimè didicerunt. Ubique JOHANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS ſolus propemodum triumphabat. Neque enim addictus uni generi ſic fuit, ut cœtera militiæ ornamenta negligeret: aut omnibus ſic intentus, ut ſingulis curæ minus ac laboris impenderet, famæ minus aut gloriæ reportaret à ſingulis. Omne tulit punctum; ut addubitare quis poſſet, artificialemnè militiam haberet, an potiùs à natura? Ubique armorum gloriâ magnus, ubique intrepidus. Neque enim timuit aliquando, quàm ne quid uſpiam timere videretur. Ut minimè mirandum ſit, ſi illum Sereniſſimus atque Victorioſiſſimus Princeps tantoperè non amaverit tantùm, verùm etiam ornaverit, ut honoraret. Nempè, hoc munerum, quaſi gratiarum fœnore, HEROIS noſtri merita redimiri debuerunt, ut eſſent pretioſiſſimæ apud Poſteros memoriæ pignora; atque liberaliore ſplendoris acceſſione, ejuſdem augerent dexteritatem, promoverent Virtutem. Quorum ego omnium hodiè arbiter atque Orator umbratilis, in luce tàm ſplendidè ſplendentis DIEI, & radiis

 no-

nobilitatis ac gloriæ, dum ſingula expendo, priuſquam dicere incipio, deficio linguâ animoque, hoc eſt, ad medium Solem cæcutio. Iam enim, ut ſentio, MERIDIES incipit, ſed adhuc KÖNIGSMARCHIANÆ *Virtutis, & meritorum.* His, fortiſſimum invictiſſimi Herois pectus incaluit, non tàm ad flammarum, quàm maximorum operum apicem, ut indè lucem inſoliti cujuſdam ſplendoris Poſteri quoque derivarent.

MERIDIES Geſtorum & meritorum. JAM SOL, ET DIES PROVECTIOR, ID EST, ÆTAS KÖNIGSMARCHII conſtantior, ſuique juris, & nullis propè curatoribus indiga, efflagitabat, ut ad maxima militaris GLORIÆ aſpiraret & aſſurgeret incrementa: quæ quidem alibi gentium quærere potuit; invenire, niſi apud *Suecos*, non potuit. Horum glorioſa Virtus, ac armorum celebrata gloria, ex ingenio Gottici Cœli, invictiſſimum animum & altiſsimos Herois noſtri Spiritus inflammavit, perſuaſitque, ut Terræ potiùs inniteretur, tanquam ſolidiori elemento, quàm aëri, (ſi permanſiſſet, cum Icaro ſine dubio daturus erat nomina Ponto:) atque Leonibus, non Aquilis, optaret imperium. Dicam ſimpliciùs: Ut Sueciam pro Auſtria coleret, gloria imperavit. Sueciam dixi, cujus ea ſemper in armis arcana vis fuit, ut omnia in Bello, adhuc hodiè, neſcio quo modo feliciùs expediat, atque celeriùs præ cæteris nationibus (ſi glorioſiſsimam Gallorum gentem excipias) fructum Belli conſequatur. Ut eam ob cauſam magnus quidam Gotticæ magnitudinis admirator, Sueciam dixerit omnium officinam Gentium & armorum: non tàm, quia naſcitur ibi, quantum virium ac fortitudinis ubique laudatur; quàm, quia, neſcio quo artificio, etiam peregrinæ vires, ſi eò perveniant, poliuntur, acuuntur, perficiuntur. Non hîc equidem pluribus

ribus agendum arbitror, cùm penes aures & oculos, fortè & manus, judicium ſit. Percurrite animo bellorum omnium victorias, ac victoriarum triumphos; à Gottis, armorum triumphorumque copia: quibus ea Virorum natio habita ſemper eſt fuitque fortiſsima, ut Romani quoque, rerum Domini, cum Urbe æterna vincerentur. Et ne vetera repetamus, hoc breviſsimum ſeculum ſi memoriâ expendimus, quô Glorioſiſſimorum atque Invictiſſimorum Regum, *Adolphi*, & *Caroli*, in utroque, Guſtavorum, hoc eſt, Auguſtorum, auguſta fulſêre inſignia; quantam acceſsionem GLORIÆ Suecorum acceperint arma, facilè cognoſcemus, maximamque fuiſſe dicemus. Nimirum, armorum excultrix, & Magiſtra Militiæ Suecia eſt. Novi, vel de facie multos, plures etiam fuiſſe non dubito, qui artis militaris diſciplinâ, ſplendoremque armorum ſupremum, quibus apud Suecos perfectiùs imbuti fuerant, cum aliò ſeſe contuliſſent, ita ſenſim inobſcuraverint, & quodam quaſi vitio deculcaverint, ut cum iterùm remigraſſent, non eos, qui abierant, ſed alios redire juraverim. Quàm multos audivimus, aut etiam vidimus, quibus unum illud in militia peccatum objectum eſt, Suecis nunquam militaſſe. Ut Principes Viros taceam, quàm multos, alibi planè Hectores, & Achilles, hæc ipſa Gottici Nominis fama & armorum gloria pellexit, ut ad eam ſeſe conferrent; alioſque tranſverſos egit, ſpe dejectos aſſequendi, cum in primis militiæ coloribus ſuas ipſi umbras agnoſcerent, ac perfectam Martis imaginem formidarent. Profectò JOANNI CHRISTOPHORO KÖNIGSMARCHIO nihil felicius contingere potuit, quàm cum hic conatus ſucceſsit. Tunc enim eminentiſsimum Virtutis, ac *Æternaturæ gloriæ* Nomen aſſecutus, etiam immenſam præconiorum famam, apud omnes latè pro-

provincias, meritis impleviſſe videtur, cum eò veniſſet. Quamquam alia quoque cauſa erat, cur ad hoc armorum atque virtutis emporium accederet. Scilicet, prudentiſſimum Cheruſcorum Regis ſecutus conſilium; cùm is ex neceſsitate Romanos Socios vellet, hic, ex virtute Suecos appeteret, *non profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ & gloriæ,* quam Anteceſſores Herois noſtri acceperant à Suecis, non Romanis; Gentem, ſago togaque glorioſam, amplexus eſt. Siquidem quibus olim artibus lociſque parta dignitas eſt à Majoribus, iiſdem, eodemque in loco, à KÖNIGSMARCHIO debuit conſervari. Avorum certè Atavorumque ſanguinem noverat in in Suecorum, Gottorum, Vandalorumque Regno ad invidiam uſque floruiſſe; neque in Senatum modò, ſed etiam Nomen cöaluiſſe Sueonum, quis ibit inficias, aut vitio vertat? ſi armorum officinam antepoſuerit Romanis deliciis? Indè poſteà factum eſt, ut JOANNIS CHRISTOPHORI KÖNIGSMARCHII quoque virtutes & merita, ſparſim adhuc & ſolitariè degentia, cöeundo, majora aſpectabilioraque jam fierent; ut etiam perficerentur ſenſim, atque ipſo ſtudio comparationis ad *Æternaturam* abſolverentur *gloriam.* Attamen, illam ego omnium potiſſimam KÖNIGSMARCHIANÆ mutationis, aut veriùs felicitatis, cauſam arbitror, quæ tot millia hominum innocentiſsimorum depreſsit, & omnibus ſpoliatos fortunis, non ad Villarum tantùm, verùm etiam ſolitudinum damnavit exilia. Nempè, hîc, ſuo zelo, an Cœlo? magna Herois anima movebatur. Quia Religionis Libertas, tàm diuturna, tàm felix, quæ ſecuras Conſcientias reddit & innoxia judicia, ab *Imperatore* plurimùm turbabatur; ut videri mirum minimè debeat, quod ab illis Caſtris receſſerit, quæ tunc armorum magis injuſtitiâ, quàm virtute vale-

valebant; quæ non tantùm gentilitiis KÖNIGSMARCHIANÆ Familiæ inſignibus, ſed bonorum quoque Conſcientiis erant aliena & inimica; &, quod omnium peſsimum, quæ humana divinaque promiſcuè jura ſolverent, invaderent, conculcarent. Huc enim Heros noſter totum evocabat ingenium, quotiès viriliter de rebus bellicis inferret, quotiès acriter de modo vincendi diſſereret, ut aſsiduè quoque pietatem avitam cum armorum meditatione conjungeret, atque de DEO, quantum militi licet, divinè, ſi poſſet; viciſsim verò de quovis homine, magis multò quàm humanè, ſentiret ac diceret; niſi ſecum pluſquam egiſſent inhumanè, qui ſecuræ tranquillitatem Conſcientiæ turbare laborant. Hinc hoſtilis animus adverſus Romanas Aquilas, id eſt, eum hoſtem, qui, cum ſe ſuoſque jam antè perdiderat, omnia quoque perdendi artem indagabat; qui bella, qui rapinas, qui cædes, etiam cum maximè cæditur, maximè meditatur. Et, quod caput eſt, eo tempore ab illo receſsit, quo ubique terrarum ad bonorum innocentiam graſſaretur, atque extrema tentare conſilia, machinaſque omnes ac vires adverſus Conſcientiarum libertatem, non, ut anteà, clàm, & per cuniculos, ſed palàm, atque impunè, ſed in oculis omnium, ſed cœlo ipſo teſte, per ſummam injuriam atque violentiam, niteretur. Quid enim non fecit in *Germania? Pannonia? Bohemia?* viciniſque provinciis? Quantum in rigidiſſimis quoque regionibus ſuſcitavit incendium? quod, neque Regnorum Majeſtas, neque militum robur, neque virtus unita Sociorum, neque Ducum aut Regum ſolertia & fortitudo, neque ipſæ terrarum Orbis lachrymæ, ad hanc uſque diem extinguere potuerunt. Si nullum periculum ſperni debet, quod tempore creſcit, quantò magis, quod inundavit? & ipſa fortitudo, non tàm in ſu-

perandis, quàm in avertendis periculis conſiſtit. Profectò tempus fuit, ut ſeſe ex mediis flammis expediret Kö-nigsmarchius, &, ſi non poſſet cum piiſſimo Trojanorum Duce Patrem, Conjugem, liberoſque, animam tamen educeret, non tàm ex temporali incendio, quàm æterno. Fuit tempus, ut ruentibus pleno nimbo tempeſtatibus, & quaſi exundantium aquarum, atque ipſius maris æſtu & profluvio, hoc eſt, publicis humani generis lachrymis, ſubduceret Conſcientiam & caput. Vivere ſiquidem in conſpectu periculi, perindè ferè eſt, ac illud reipſa ſubire. Nemo mortalium juxta viperam ſomnos ſecuros capit, quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat. Tutiùs eſt perire non poſſe, quàm juxta periculum non periiſſe. Ut igitur *erupit, evaſit*, aquam, æſtum, incendium, *avitæ libertatis inter anguſtias Conſcientiæ retinens*, illicò Suecicis Legionibus immixtus eſt. Quâ mente? quo conſilio? Ea ſanè mente, ut Heroicis Anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſteret, & premeret virtutem; eo conſilio, ut exercitum bellicis negotiis animum, atque in militiæ leges ſemper intentum, Königsmarchiano non minùs, quàm imperatorio affectu, *ad clariſſima quæque iturum feſtinatione ſtimularet, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremò ſuaſmet ſpes, anteire deſiderat.* Ut ergò Suecos vidit, venit, acceſsit, adoravit primùm armatum genium hujus Cœli, abſolventem omnia, perficientemque præſtantiùs, quàm alibi viderat, vel acceperat: atque adeò ſuſpexit felicitatem ſuam, ut ex admiratione, ut fit, ad eximia geſtorum decora, ad immenſam meritorum gloriam, Cor, pectus, mentem, manum, dexteram, accenderet, & inflammaret. *Quantum mutatus ab illo!* Ex tunc enim, ſi unquam aliàs, cæpit præclariſsimos ad fortitudinem impetus exerere, acre militaris diſciplinæ ſtudium exercere, atque operam conſtantiſsimè per-

pertinacem, in Moravia, Sileſia, Saxonia, Bavaria, Weſtphalia, ac Bremæ & Verdæ, in cruentis occaſionibus, in periculoſiſſimis certaminibus,ab eo poſitam, ipſi Nos, aut Socii laborum,aut admiratores operum,aſpeximus.Suſpexerunt & illi Herois noſtri ingentia merita, quos & honorum altior tenuerat apex, quique Mavortium animum ſupergreſſi, re nomineque *Duces Exercitus* vocabantur. Suſpexerũt, nec fruſtrà; nam communi omnium ſuffragio JOHANNEM CHRISTOPHORUM KÖNIGSMARCHIUM, Generalis militiæ Colonelli titulo,magno Sociorum plauſu, decorarunt, ut magnificentiore ſplendoris acceſſione, & illius cumularent dignitatem, & accenderent ad majora audenda virtutem; niſi illos ipſos, à quibus non vilia ſervitii præmia acceperat, tàm cumulata KÖNIGSMARCHIANÆ fortitudinis exempla accendiſſent. Poſt hujus ornamentum honoris, vidimus Solem ipſum ſub hoc ſydere plaudere, atque novos Herois in pectus radios cumulare, accendereque faces ad gloriam; quâ, more Solis, clariſsimam meritorum mortalibus lucem latè diffunderet; nec non ipſe etiam, auſu ut generoſiſsimo, ſic fortunatiſsimo, per ferrum & ignes, per vulnera, funeraque, per arma, prælia, cruorem, iret, & properaret, *de virtute, in virtutem;* poſteà, *ex honore, in Honorem.* Exactam ut Virtutis, ita Fortitudinis in KÖNIGSMARCHIO ideam, licet conſpicari. Ne mala faceret, fuit pavidus, ne pateretur intrepidus; ut fortiter ageret, cupidus; ut exequeretur, audax. Æſtimator libertatis publicæ, vitæ ſuæ contemptor. In uno videbimus univerſas fortitudinis leges, maximè illá, quæ ex propoſito animi ac fine eſt, *nullũ perdere, & vincere.* Omnium celeberrima Victoria, quæ minoris emeretur, Luculli adverſus Tigranem fuit; de qua Philoſophus cenſuit, à Sole nunquã viſam parem. Livius prodit, nunquam Romanos

ſigna

ſigna cum hoſtibus contuliſſe, tanto numero inferiores, cum victores ne vigeſimam partem hoſtium adæquarint; cum ſolùm quinque è Romanis occiſi ſunt, pro ſingulis triginta fermè hoſtium millia periêre. Superavit tot victoriis unam victoriam KÖNIGSMARCHIUS, & cum viciſſet totiès, hanc pulcherrimam laudem meruit, aut nullos, aut quàm pauciſsimos perdidiſſe. Nihil hîc amplificationis causâ contendo, teſtes ejus laboris ſudoriſque, tot Urbes, Arces, Oppida, aut funditus everſa, aut, quod ſemper maluit, in officio conſervata; ut in cæterarum expugnatione Urbium, diremptione præliorum, locarent operam ancillantem. Teſtis *Lamboius*, Cæſarianæ Anteſignanus militiæ, atque tunc planè prædo regionum, cum KÖNIGSMARCHIANA, ex labore, ſudoreque Virtus maximè ſplendeſceret, atque recentium illuſtris Victoriarum Gloria triumpharet. *Lamboius*, (inquam) ille, qui fortè inferioris Germaniæ partes rapinis & populationibus percurrebat, & jam exitu facinorum factus audacior, Weſtphaliæ, Bremæverdæ, aliiſque provinciis, minabatur. Quid KÖNIGSMARCHIUS? Non quievit magnorum ſucceſſuum avidiſſimus ſpiritus, donec non modò hoſtem fortiter ſterneret, verum etiam tot obſtantia flumina celeriter ſuperaret. Major hic fortaſsè fuit labor, ſed & major gloria, in commiſſo ad ipſa Halberſtadianæ Urbis mœnia prælio; in quo, juſtè deductus contra Cæſarem exercitus, quatuor ex illo Legiones cecîdit; de ſuis cecidit nullus, niſi aliquis, prædæ quàm pugnæ capacior. Tandem, ut muralem quoque *Coronam* obtenderet, Urbem ipſam propriis auſpiciis in poteſtatem accepit, atque quot in ea homines, tot fortitudinis ſuæ jam habuit teſtes, non tantùm ſpectatores. An hîc addam, pulſum Bavari Exercitum? nec procul indè *Melandri*

mili-

militem internecioni expoſitum? ut utrinque exercitus hoſtilis reliquiæ in latebras evadere, tergaque ſimul & ſolum vertere, unum ſalutis duxerint remedium? Dixi *Melandrum,* Nomen illud per infamiam famoſum, quia crudelitatis ac ſcelerum, atque Suedicæ fidei perfidum deſertorem; quem KÖNIGSMARCHIUS toties afflixit, domuit, debellavit; atque uſus exemplo Majorum, eripuit Ducatus Bremenſem & Verdenſem, ab ejùs tyrannide, quam ubique locorum, portentum illud hominum exercebat. Ut hinc quoque juxta ſereniſſimi Principis, *Friderici Ulrici*, vaticinium confici poſſit à Poſteris: Familiæ KÖNIGSMARCHIANÆ, ne ſuos quidem *Hercules* defuiſſe, qui terrarum ſalutem procurarent, fortiter feliciterque pugnando cum monſtris. Minima iſta erunt, ex indefeſſis *Königsmarchianæ* ſolertiæ laboribus laudis ornamenta, quando ille ipſe parvi toties Exercitus Magnus Imperator, ſolus ubique præiret; ſolus tot locorum terrarumque diſſita ſpatia glorioſè conficeret; atque non tam pontibus, quàm frontibus flumina tot celeriter jungeret, totque ſtagnantes & vado periclitantes paludes laborioſè, an animoſè, ſuperaret. Ubique non lentè, non temerè vires & arma miſcebat, impetu & conſilio ſoſpitabat fortitudinem, opportunè & opportuna aggreſſus; ut uſum vincendi ultra victoriam protenderet, & pignus ſecundæ palmæ, primum daret, aut faceret. Verùm, quis jam mihi tribuat eam feliciſſimam dicendi potentiam, ut hanc ipſam ritu Promethei, ex altiſſimo volubilis eloquentiæ cælo deducere valeam? Equidem tunc dicerem ingentes virtutum tuarum operas, ô HEROS fortiſſime, quibus & glorioſè vincendo, domi foriſque, Bello Paceque, *Æternaturam Gloriam* extendiſti, neque ſolum fortiter pugnando, ſed

etiam ſalutaria proponendo conſilia, pridem omnium ſcribentium præconia ſuperaſti. At eant hodie laudes & præconia, etiam ignavis communia, quò illa démens & ambitioſa protrudit adulatio! Certè Heroïs noſtri virtus, ubique ſui concolor, propriiſque non minùs dives quàm ſpecioſa lucris, aliunde quæſita non expetit præconia: cujus maximus fructus non in verbis, ſed in animo ſitus eſt, & contemptu ipſo gloriæ, præmium gloriæ in ſe invenit non quæſitum. Fortes, nec imbelles, ſed tamen ſuperbos & ambitioſos, ita Romana ſuggillat ſapientia: *Multi inveniuntur* (inquit) *qui ignem inferant Urbibus, qui inexpugnabilia ſæculis, & per aliquot ætates tuta proſternant; qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos, arietibus ac machinis quaſſent: multi ſunt, qui ante ſe agant, & tergis hoſtium graves inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant; ſed hi quoque ut vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſtitit, ſed nec ipſi ambitioni reſtiterunt. Tunc, cum agere viſi ſunt alios, agebantur.* Agebat infelicem Alexandrum furor aliena vaſtandi, & ad ignota mittebat. An ſanum putabimus, qui à Græciæ primum cladibus, in quâ eruditus eſt, incepit; qui quod cuique optimum eſt, eripuit? Lacedæmona ſervire juſſit, Athenas ſilere. Non contentus tot Civitatum ſtrage, quas aut vicerat Philippus aut emerat, alias alio loco projecit, & toto Orbe arma circumtulit. Nec ſubſtitit unquam laſſa crudelitas immanium ferarum modo, quæ, pluſquàm exigat fames, mordent. Jam in unum Regnum multa Regna conjecit. Græci & Perſæ metuêre, liberæ nationes jugum accepêre; ire tamen voluit ultra Oceanum Solemque, atque indignatus ab Herculis Liberique veſtigiis victoriam flecti. Ipſi naturæ vim parabat;

rabat; nam ire volebat, cum ſtare non poſſet; non aliter quam in præceps dejecta pondera, quibus eundi finis eſt, jacuiſſe. Ne Cn. quidem Pompeio externa ire in bella, aut domeſtica virtus, aut ratio ſuaſit: ſed inſanus amore magnitudinis falſæ, modò in Heſperiam, & Sertoriana arma, modò ad cogendos Piratas ac maria pacanda, ducebatur. Hæ prætexebantur Cauſæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam, quid in Septemtrionem, quid in Mithridatem & Armeniam, atque omnes Aſiæ angulos traxit? infinita ſcilicet cupido creſcendi, cum ſibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæſarem in ſua fata pariter ac publica immiſit? Gloria, & ambitio, & nullus ſupra cæteros eminendi modus. Quid Caium Marium, ſemel Conſulem? (unum enim Conſulatum accepit, cæteros rapuit) cum Teutones Cimbroſque? concideret, cum Jugurtham per Africæ deſerta ſequeretur? Tot pericula putamus appetiiſſe virtutis inſtinctu? Minimè. Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Iſti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, ſed ipſi ante volvuntur, & ob hæc majori impetu incurrunt, quia nullum illis ſui frenum eſt. Ideoque cum multis fuerunt mali, peſtiferam illam vim, quâ pleriſque nocuerunt; ipſi quoque ſenſerunt. JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS ſine cupiditate fuit, nullus amor gloriæ, nulla ſpes lucri vicit invictum Heroëm. Non voluit aliena felicitate felix eſſe, aut fortis videri. Cum vinceret, prodeſſe gloria fuit. Non enim qui fortis eſt, vitam pro laude, aut ſpe famæ paciſcitur, ſed pro honeſtate & publica re; cui non laus, non fama ſatis, ſed Conſcientia eſt. Sunt tamen, quos etiam ipſa ignavia, ſupra triumphum delectat: ſunt, quos ipſæ tenebræ à majori obſcu-

ritate vindicant. Hi quid facerent? ſi ex tot Solis facibus, uno irradiarentur radio, hoc eſt, ſi ex tanta *Königsmarchianorum* geſtorum gloria, partem facti minimam occupaſſent? Attamen in hac ipſa Heroïs fortiſſimi gloria, quid ego de Gloriæ contemptu dicam? quam Macedo reſpuit, Pompeius neſcivit, Cæſar non curavit? quâ, ut ille præ reliquis dignior, ſic ejuſdem negligentior ſæpè fuit, & ſemper magis capax, quàm avidus. Quamquam bellica gloria, cum ſeſe in animum intulit, non tam implet cogitatione fortitudinis, quàm inflat cupiditate honoris ac dignitatis: fateor, ſed eos nempè, qui ſolent ventis jaculari. Verùm JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS nullam aliquando captavit auram, niſi quam hoſtilis pulveris nidor fumoſo impetu corrupiſſet. Nihil ad propriam ambitionem, ſed ad publicam utilitatem omnia referebat; maluitque magna facere, quàm magnus videri. Sed iſta eſt *Æternaturæ Gloriæ* natura, ut volentem ſe fugiat, fugientem ſequatur. Illa, illa excelſam KÖNIGSMARCHII mentem in Magno Senatu Regni, Ducumque Exercitus Regii Conſeſſu, priùs extulit, quàm ipſe meritorum ſuorum gratiam potuit rogare, aut voluit meditari. Illa ſola effecit, ut animi immenſitatem omnium capacem, etiam Cœli; potiſſimum in ſummo *Campi-Mareſchalli* munere exerceret, atque regiam Nominis ſui famam Imperatoriâ dignitate redderet illuſtriſſimam. Ut ſeſe geſſerit, dum ego paucis explico, de mea ſanè dicendi tenuitate diffiderem, niſi præ manibus haberem *Königsmarchianam* animi fortitudinem; cujus proprium eſt, debilitatem, non virium magis, quàm ingeniorum erigere, atque plenam victoriæ fiduciam, quemadmodum armis, ita Literis inſtillare. Geſſit ergo ſe, in novo *Campi-Ductoris* munere

nere, ut ipſe debuit, ut pauci auſi ſunt, ut omnes voluerunt. Probat iſtud imprimis illa majeſtas frontis, *Offenſionum pro utilitate publicâ non pavida*, quam, etſi ſeveriorem natura formaverit, illam tamen ad Caligulæ ſpeculum non vocavit, quin in honoribus æquè ut laboribus mitigabat, ut fulgeret & emicaret ſerenius: eximebatque *Königsmarchium*, jam *Campi-Mareſchallum* & exercitus Ducem, longiùs ab eorum numero, qui etiam minorem dignitatem importunâ frontis ſeveritate corrumpunt, ac perinde imperare ſolent, quaſi nunquam didiciſſent parere. Tumidiſſimi ſpiritus vibices & maculæ, non homines humani; quos, *delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum, minuſque ſe judicant poſſe, niſi diu multumque ſingulis, quid poſſint, oſtendant.* Oſtendit, ſermo ipſe *Heroïs* noſtri, non calamiſtratus, aut phaleratus ille quidem, ſed virilis, ſed militaris; quo, tantum potuit, ut ex uno dicentis ore, placidè penderet vulgus & Exercitus: tam fervens, ut vix in dicendo aliqua reſpirationi quies eſſet, cum hanc ipſam quoque plauſus militaris ſæpius occuparet. Nihil ille ſibi, etiam in maximis periculis non pollicebatur, nihil non impetrabat ad nutum, tam militum animos habebat in manu, quam ferrum ſuum; utque corporibus ferrum, non aliter animis vox illius, non ictu magis, quam pondere, quam acie, & quaſi mucrone dictionis, eodem temporis momento, metum exprimebat & amorem. Monſtrat, Militum alacritas, quibuſcum, non unam arcem, Urbem, provinciam, fortunatis conatuum, & armorum ſucceſſibus expugnavit; tot hoſtes in Campo fudit, fugavit: tot victoriarum feliciſſimos retulit triumphos,

Haſtaſque captivoſque currus
Exuviis numerans opimis.

Indicat, communis Regni Sueciæ cum Ducibus conſenſus, qui, cum ardorem & fortitudinem KÖNIGSMARCHII, in armis & promovendis, & celeriter transferendis, & expediendis feliciter, penitius expenderet: hunc *Unum*, quo jam prius fungebatur, triplicavit honorem, atque illius imperio & *Miſnenſem*, & *Thuringenſem*, & *Weſtphalicum* ſubmiſit Exercitum: ut, non tàm auxiſſe illius militarem dignitatem, quàm ſuam quoque, & ſuorum, atque etiam omnium, tradidiſſe KÖNIGSMARCHIO, videretur. Quamquam in hoc imperatorio munere, ſi unquam aliàs, jam vel maximè, Regiam, atque Regni ſalutem tueri, ac defendere; ſua fortia facta, gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum duxerit. Maximè honoratus, maxima peregit. Ferebatur invictiſſimi Heroïs virtus in omnia, quam ipſa jam nova acceſſione authoritas fecit majorem ac fortiorem. Perficiebat res aggreſſione difficiles, tractatione perplexas, modo, periculoſas: perficiebat, ſed abſque difficultatibus, perplexitatibus, periculis: ea animi magnitudine, quâ antiquis retrò temporibus, nemo unquam ex iis, qui ante illum Duces exſtiterunt, auſus eſt periclitari. Neque prius armis hoſtilem orbem verſare deſiit, quàm inter continuos bellorum fragores, inter aſſidua pugnantium prælia, inter triumphales lituos ac Martia tympana, ad ſupremam conſummatæ imperatoriæ poteſtatis veheretur dignitatem. Incredibile id ſane non nemini videri poſſit, pronunciatumque magnificè potius, quàm verè, ab homine peregrino, ſed Milite tamen, & cui *Königsmarchianæ* Virtutis gloria, tanquam in quæſtu ſit. At qui factorum momenta expenderit, & quæ dicturi ſumus, exceperit non invidus, dicet: non Martem ad KÖNIGSMARCHIUM, ſed naturam, rerum opificem, transiviſſe; quæ in eo, ſi aliquando armari vellet, vires ſuas at-

que opificium conſumpſit. Tanta Heroïs noſtri ubique magnitudo emicuit, ut dubium Amicis ac Hoſtibus fecerit, fortitudine major, an felicitate exſtitiſſet. Fortiſſimi ac Feliciſſimi Imperatoris dotibus cultus admirationem ſui meruit, ac provocavit. Conflicturus, conflixit: à pugna & prælio, nunquam fuſus, ſemper victor receſſit. Accedens multitudini hoſtili inæqualitas loci, ne dicam difficultatem, ſed impoſſibilitatem auxit victoriæ, in Sileſia, Bavaria, Thuringia, in Ducatu Bremeverdenſi, atque Cherſoneſo Cimbrica. Ubique ſi diſcrimina ſpectes, moriturus; ſi virtutem, victurus. Non ſatis duxit pugnare, niſi viciſſet; niſi ſuperiores loco, numero, & armis, virtute ſuperior, ſuperaſſet. Quod ſi Heroum huc conferantur geſta, quibus fama mentiens cum rumore intonuit, erunt ætatis puerilis crepundia, ſi cum factis Heroïs inclyti componantur. Alexander, cui cognomentum *Magni* adulatio fecit, in expugnatione Nyſæ Urbis, cum Milites in trajiciendo amne partem Civitatis cingente, ſegniores videret, territos altitudine alvei; ipſe ſcuto ſuo innixus, quod pectori ſubjecit, prior fluvium ſuperavit. At quantò faciliùs ſuperare eſt aquas, quàm ignes; & exermem penetrare fluvium, quàm armatum cuneum; invadere Civitatem, quàm Regnum; tantò minor fuit Macedonis gloria. *Porus*, fortiſſimus Indorum REX, collatis cum Macedonibus ſignis, corpore vaſtiſſimo fretus, cum ipſo Rege congredi petiit, ſed multis confecta vulneribus erubuit vanæ molis præſumptio. KÖNIGSMARCHIUS, non cum Rege, ſed cum Cæſare congreſſus, tot vulnera Romanis injecit Aquilis, quot tela, tot victorias adeptus, quot pugnas. Imperator Romanus, cum innumerabili multitudine, & Feroci Perſarum impetu, inclinaret ſua acies, timidius pugnanti Militi

ſcutum detraxit, quo tectus, & acerrimè prælìatus, fortitudinem per totum Exercitum diffudit, labentemque belli fortunam ſuo reſtituit ardore. Quod ſi gloriam metiamur ab expulſo timentium metu, major *Königsmarchii* gloria, nunquam timidos habuiſſe. Nam quemadmodum tranquillitatem proceſſoſi commendant turbines, ſic ad fortitudinem Heroïs noſtri commendandam, publica conſternatio, pavorque prælium præceſſit; ut non timeret fortitudinem hoſtium, aut metum ſuorum. *Julius Cæſar*, Aquiliferum Legionis Martiæ, jam ad fugam converſum, manibus comprehenſum, in contrariam partem detraxit, dexteramque adhoſtem tendens; *Quorſum tu* (inquit:) *abis? illic ſunt cum quibus dimicamus.* Sic manibus, unum militem, adhortatione vero acri, aliorum correxit trepidationem. Non unum *Königsmarchius* Militem, ſed integram ad militare obſequium reduxit Weimarienſem Legionem, contemptricem tunc Gallicani Imperii, & ſacramenti, quam ſive diutina à labore remiſſio, ſive defraudatum ſæpius ſtipendium, ſive nimia Ducis indulgentia reddiderat rebellione infamem. Hanc, unus ad ſe pertraxit *Königsmarchius* atque docuit, præcipuum Militis munus, *parere*; non tam obſequio Militum, quam diſciplinâ ac vigilantiâ Ducum, parari & conſervari. *Dux Tamerlanes*, ultra omnes imperatores ampliavit copias. Caſtra ejus non Exercitus, ſed orbem peregrinantem crederes. Tot hominum globos, unius obedientiæ militaris arte paratos, niſi in hoſtem, & violentiæ atque rebellionis neſcios, continuit. Non diſpar in Exercitu *Königsmarchii* diſciplina. Nulla vis, nullæ rapinæ, nulla rebellio. Caſtra ſua velut nundinas Mercatores ambiebant. Securitas mercium, & juſtitia ementium, advocabat negotiatores. Iſtud beneficium,

ſe-

ſeveritatis debitum fuit, ac vigilantiæ. In hoc, Tamerlane ut major, ita diſſimilis. Numerum militum adæquavit expenſis. Noluit plures legere, quam regere potuit. Satius duxit, cum paucis vincere, quam terrere cum multis. *L. Marcellus* cum in manus Gallorum imprudens incidiſſet, circumſpiciendæ regionis, quâ evaderet cauſa, Equum in orbem flexit; cum omnia infeſta vidiſſet, in medios hoſtes irrupit, quibus inopina audacia perculſis, Ducem quoque Exercitus trucidavit. Neceſſitas, & deſperatio, dedêre audaciam, ac ſimul victoriam Marcello. KÖNIGSMARCHIUM nunquam deſperatio (quamquam ſæpè neceſſitas) ad pugnandum provocavit; hinc cum pugnaret, pugnam ultrò vicit, quia ſpontè pugnavit. *P. Decius Murænа*, Tribunus Militum, inducto ab *Aulo Cornelio* incautè in cavam vallem Exercitu, circaque inſeſſam ab hoſte, cum omnia metu plena, ipſumque Conſulem conſternatum cerneret, ductis ſecum unius Legionis haſtatis, evadenſque in montis cacumen & hoſtibus terrorem incuſſit, & ſpatio Conſuli ad ſubducendum agmen in æquiorem locum dato, ſua Exercitum virtute ſervavit. *Macti* (inquit) *virtute Milites eſtote, qui alios ſervaſtis, voſmetipſos ſervate. Digni, qui quod pauci, pluribus ſalutem repperiſtis, nullius ope indigeatis.* Dignus majori gloria KÖNIGSMARCHIUS, qui toties ſolus Univerſis ſaluti fuit, quoties ſuis interfuit, qui non modo metum exercitus, ſed Regni ſolverit; qui non aditum fugæ quæſierit per avia; ſed victoriæ, per ardua. Fortiſſimus Epirotarum Rex *Pyrrhus*, cum Erycem arcem munitiſſimam oppugnaret, hoſtibus, à quibus premebatur aliis occiſis; aliis conſpectus ſui atrocitate territis ac confuſis, primus muros invaſit; illicque tam diu hoſtium vim ſuſtinuit, donec

militibus pudorem incuteret, animumque adderet, *Majora audendi.* Königsmarchius, in oppugnandis, expugnandiſque Urbibus, noluit alios ſæpè, niſi ſe periclitari, ut omnes eſſent ſecuri, diſcrimine ſuo procuravit. Gloria hæc Pyrrhi, non fugiſſe, (ſi velis honeſtius verbum,) ſuſtinuiſſe, fuit: at gloria Königsmarchii, *fugare*, non *ſuſtinere.* Sileo jam ſolertiſſimam conſiliorum dexteritatem, in animis hominum tot millium pertractandis, eorumque inter armata privatarum ſtudia utilitatum, in uno Königsmarchio conſulendo conſenſum. Prætereo, perpetuum magnanimitatis ſtimulum & inſtinctum, cujus ſi vel ſcintilla noſtris accidiſſet ingeniis, vitalis ultra non eſſet, jaceretque ſopita: in Heroë noſtro, tam bene paratum fomitem operiebatur, ut illico mentem accenderet, atque ad maxima operum molimina animum inflammaret. Nil dico de invicta dextera, miniſtra fortitudinis & animi, quæ tritum illud multorum ore proverbium, *Maturè propera*, exprimebat, præterquam cum pugnaretur. Pugnæ enim tempore, non modò ſine maturitate feſtinabat, ſed ipſam imperatoria brevitate ſuperabat celeritatem. Et quod accidere perrarò ſolet, perfectioni celeritas detrahebat nihil, ipſo ſtatim initio, feliciſſimum certaminis eventum ſecutus, victoriam ſimul capiebat & prædam. Hic quoque imitatus ingenium Solis, qui, ut lucis beneficium, quo nullum eſt inter humana divinius, intra breviſſimum temporis ſpatium, Zodiacum, immenſum illud ac perenne Monſtrorum hoſpitium, quam-velociſſime percurrit. In hoc uno, magno Luminari diſſimilis, quod iſtud etiam dormientibus oriatur: Königsmarchius, ut nunquam ullius otii patronus maximè in militari delectu, quibus accederet, & quos am-

amplecteretur, morâ virtutem ab ignavia diſtinxit. Amabat animos difficultatibus exercitos, non inertia diffluentes: gloriæ cupidos, non avidos quietis, armorum ſtudioſos, non voluptatum amantes. Sileo militarem delectum, in quo lege belli, tria conſtituta fuêre à Deo; quorum primum, timere multitudinem hoſtium, in Deo fidendo; fortior quippe eſt, una divina ſpes, quam plurimus militantium numerus. Deinde exauctorare, qui cœpta negotia reliquerunt: ne ſpes aut cupiditas alia præliaturos diſtraheret, ut cum divina fiducia, & ſine humana ſpe fortiſſime dimicarent. Tandem pellere timidos, qui impedimento potius ſunt, quam auxilio; cum exemplum cæteris ad fugam, non pugnam oſtendunt. Exactiſſimè obſervavit iſta KÖNIGSMARCHIUS, victoriales eas copias ratus, quæ Deum ſequerentur. Quamvis parvas, plurimas Virtute. Vincere aſſuetus cum paucis, non timuit cum multis pugnare: triumphalem putavit exercitum, qui ſe, atque Deum Ducem ſequeretur, tametſi exiguum. Profunda nocte ſepelio ingenioſiſſima bellicarum artium commenta, quæ in pectore ſuo, velut Equo Trojano, cum Ulyſſe concluſit omnia, aut ſi quando foras evocavit, in Campo explicuit. Maxima nempe Militiæ lex & ars, ſtratagema eſt, quo ſupra modum, atque omnes, valuit. Cui enim nota non eſt Archimedis noſtri in inveniendo felicitas, & quædam animi ſolers architectura, immenſas ubique machinas, ex tempore fabricantis? cujus facilitatem incredibilem, doluere non pauci, nemo non miratus eſt. Verum non ſolum juvit KÖNIGSMARCHIUM ſtratagema, ſed etiam ſedulitas irrequieto gladio, hinc inde metens victorias. Maxima vincendi ars, opportunitas fuit ac feſtinatio. Interrogatus aliquando Cæſar, quo-

modo tantas res perfeciſſet? *Nihil procraſtinando*, reſpondit; & ut Lucanus cecinit,

Nil actum credens ſi quid ſupereſſet agendum.

Athenienſibus Cytheram, Thyream, Scionam, Toronem, aliaſque civitates celeritas militiæ dedit. Pennatam olim *Diligentiam*, & utrâque manu horologiis occupatam Priſci effigiarunt: alis, celerem impetum; horologiis, opportunum, commendarunt. Anima rerum agendarum *Occaſio* eſt. Hac quoque fortunatiſſimus exſtitit KÖNIGSMARCHIUS, cum quâ, fortiſſimi conſuetudinem æmulatus Machabæi, de quo ſacrum exſtat teſtimonium, quod *Maxime noctibus ad excurſus ferebatur*, una ſæpe nocte, quæ pro Duce eſt, nonnunquam pro Exercitu, non tam multorum dierum, quam Annorum prævenit laborem. Nihil adulationi ut mores cenſeantur noſtri dabimus, ſed ea dicturi, quæ, rectæ mentis conſcios, fateri neceſſe eſt. Quid hic ego admirer, Magne Comes KONIGSMARCHI? Ducum omnium feliciſſime. Tui ne magnitudinem animi, qui nihil refugeris, nihil horrueris; periculiſque majoribus temet immiſcueris, maximis non defuturus? an potius fortunam? rationis raro pediſſequam, Tuis tamen ubique virtutibus, tuis conſiliis ancillantem? Qui felicitatem in rebus aggrediundis ſemel, idcirco experiris, nempè quia te ſemper ſit experta felicitas. Sanè tanta conſtantia, regiam Bohemiæ invadendi Urbem; atque conſilii ardui quidem ſemper, ſed eo præſertim tempore difficillimi, peralacriter ſuſcipiendi, maximum hic *Auſus*, præmium meretur; cui, tantum PRAGA, atque ipſa *Regia*, cum Nomine Regio, debebatur. PRAGA *flos Urbium, Solium Regum, Decus Civium, Gloria Regni.* Quam Idibus Julii nocte intempeſta, addicentibus auſpiciis, non ferro,

ferro, igne, machinis, ſed quod his pernicioſius, arte, dolo, ſtratagemate, (quibus, Magni, magna perfecêre Reges:) KÖNIGSMARCHIUS aggreditur. O noctem ſole clariorem! ô tenebras luce ſplendidiores! quid in die facturus erat, qui ne Nocti quidem remittebat, ſcilicet, ut pugnaret ſuavius, quam dormiret. Certe dormivit *Coloredus* Regiæ Cuſtos Urbis, & ſtator; dormivit cum Gubernatore, ducibuſque Miles, cum JOHANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS, hoc, etiam illo Romano Cæſare ſuperior, vicit antequam aut veniret ad pugnæ locum, aut videret ora pugnantium, atque *Urbem* & *Regiam*, non pugnaturus, ſed quaſi triumphaturus intravit. Mox ut omnia, rumor non tam belli, quam *Regii nominis* pervaſit. *Hannibal ante portas*; KÖNIGSMARCHIUS, intra muros & Urbem. *Coloredus*, improviſam nuncii vim, fortè adhuc ſomnolentus, an vinolentus! perinde quaſi procellam arbitratus æſtivam, gravem ſanè, ſed ipſa gravitate perituram: Primò cœpit diſſimulando declinare, poſtea etiam Militum, tandem Civium quoque fretus viribus, contemnere, aut cavillari. Quamquam jocari *Fama* diutius cum ſomnolentiſſimo, ſuæque conſuetudinis tenaciſſimo Duce, non potuit; ſed ingenti armorum tumultu, atque immenſo bellicarum machinarum ſtrepitu, jam cum Civibus Militibuſque, periculoſiſſimorum eventuum cogitatione pendentem & attonitum, veluti prænuncia fulminis luce perſtrinxit. Vos, ſi unquam attonitos velim, ut ex primo narrationis aditu, conjecturam exitus faciatis. Effundunt ſeſe paſſim ex Arce regiâ, tot Ducum, Principum, tot Comitum, Procerumque Regni ingentia togâ, ſagoque. Nomina, ſed captiva capita, incerta lachrymandi prius an alloquendi officio fungerentur. Effundunt

ſeſe obviam, non pugnaturi, ſed oraturi, ubi majorem ſe, Königsmarchium jam accedere, non acceſſiſſe, intelligunt; atque effuſiore triſtitiâ ne quàm gradu, in ejus ſeſe conſpectu, ſpecie quidem ac vultu gratulantium, ſed reverâ abhorrentium mente conſtituunt. Quid hic exiſtimatis agitaſſe fortiſſimum Ducem? an more vincentium, Ludum, jocum, hilaritatem, triumphum? Poterat iſtud quidem cum Alexandro in Babylone; poterat his majora, aut etiam deteriora, non imponentibus modum illecebris in Regia Urbe. Verum eo ſupercilio, quo Reges Regna ſuſtinent ac tuentur, id unicum agere conſtituit, ne quiddam in ea fortuna pœnitendum committeret, ſi ſuam virtutem inſolentius extuliſſet, aut alienæ inſultaſſet miſeriæ ſuperbius. Index decreſcentis virtutis jactantia eſt. Cautior Heros poſt victoriam, qui etiam ante victoriam fortiſſimus: noverat infidos eventus belli, & ſingulis penè momentis, tam fortunam militarem, quam ſarcinam mutari. Bellum, ut quondam retulit Archidamus, nunquam procedit ex præſcripto, quippè incertos exitus habet, velut coluber volubiles ſpiras, nec ſatis humanis regitur conſiliis. Victoriarum, non eæ, quæ hominibus notæ Cauſæ, ſunt major fortitudo & numerus: ſed arcana Cauſa dominatur manifeſtis, quæ evertit omnia, niſi prudentiâ moderetur. Prudentiſſimus Heros attendebat prælia futura, non victoriam præteritam; nec cum victoriâ ſecurum ſe putavit, nec ad prælia imparatus voluit eſſe: nec fidit fortunæ, nec timuit. Ipſa pericula, quæ non timuit, non contempſit. Hoc intereſt inter cupidum, hoc eſt, ſtultum, & prudentem; ille, quæ vult fieri, attendit: iſte, quæ poſſunt fieri: ille, vota ſua reſpicit; iſte proſpicit pericula. Illum cupiditas ſua ducit; iſte, timorem prævenit.

Ille contemplatur res quà placent; iſte, quà diſplicebunt. Ille temerè audendo ſpem ſuam infelicitat; iſte, opportunè cavendo ſoſpitat timenda. Ille denique vota ſua cogitat; iſte rerum caſus: ille exſpectat, iſte providet. Providit omnia, Magnus & fortis Heros providentiſſimè, ne alienis periculis, in contraria erumperet conſilia Cupido gloriæ, atque hac ſemitâ prudentis providentiæ, ne tantum cuperet bellum, ſed & belli fructum caperet, nullis facile recentium Ducum, addo etiam vix ullis veterum, calcata veſtigiis, ferebatur ad eam gloriam; ut, quâm ſummus bellator exſtitit, tam maximus Pacis auctor publicæ, haberetur. Siquidem unicâ Pragenſis Urbis occupatâ victoriâ, Romanas Aquilas dum territant alii, KÖNIGSMARCHIUS expugnavit; eâ felicitatis celeritate, ut prius volantes occuparet, quam ſentiret pugnantes. Quid exiſtimamus virtutem illius, coram, atque in ipſis Cæſaris oculis, fuiſſe perfecturam, ſi jam inde procul agentis, tantum Ducis inclyti valuit fortitudo, ut *Imperatorem* quoque vinceret ac vinciret, atque profuſo cruore placatam, tandem Pacem Germaniæ, procuraret. Neque enim unius Noctis triumphum, ſatis eſſe judicavit Magnitudini pectoris ſui, niſi hujus tenebris, addidiſſet, *dies*, *ſoles*, *ſæcula*, quæ, æternaturis *Königsmarchianæ* Gloriæ triumphis, cum almâ *Pace* miſcerentur. Iſtud enim non invita, apud omnem Poſteritatis memoriam fatebitur Invidia, quod victæ & occupatæ Regiæ, triumphus, ut ſupremam invicto Duci lauream contulit, ita Diuturnis Germaniæ bellis, impoſuit finem. Nimirum admirabili providentiæ fato, ibi bellum terminari debuit, ubi cœpit: PRAGA, tanti incendii atque cruoris initium, PRAGÆ finis. Macte hac virtutum gloriâ, HEROS inclyte, ſiquidem in uno ad-

huc Te, & compoſitam ubique terrarum cum validiſſimis hoſtibus Pacem; & firmata cum Amicis fœdera, & renovata cum vicinis populis commercia, & reductam aut auctam, terra marique, cum remotiſſimis Gentibus ſocietatem, uſquè hodie, *Oriens* & *Occidens*, atque uterque Orbis, miratur, & obſtupeſcit. Singulari nutu ſupremæ Majeſtatis,

Quæ dat belligeris fœdera gentibus,

hoc accidiſſe, nemo eſt, qui ambigit: ut, poſt quâm plurima præliorum monumenta, poſt ſanguinea hoſtilis inconſtantiæ piacula, inter tot hoſtium Domitores, inter tot militaris fortitudinis Aſſertores; tot inter Libertatis publicæ Vindices; atque *Suecorum*, *Gottorum*, *Vandalorumque Gloriæ* Propugnatores; unum Johannem Christophorum Königsmarchium, ipſa Pax, & Justitia; vocaret ad famam, Gloriam, Triumphum. Sed, ille etiam in communi illo, atque publico Germani orbis amphitheatro, ſicut fortiſſimus Dux, ita modeſtiſſimus Heros, ut Carolos, *Wrangelios*, *Thurſtenſonios*, *Hornios*, *Banirios*, vetera belli decora, ingentia Cœlo, Soloque nomina, præferret; omnibus Honoris inſignibus, exuebat ultrò dignitatem ſuam, ut cæteros indueret, ſuâ tunc operâ triumphantes: nimirùm multò ſibi pulchrius videbatur, honorem meruiſſe, quàm ducere. *Neronem Claudium* antiquiſſimum illum Romanorum Conſulem, nunquam ſatis laudavit antiquitas, quia laboris & victoriæ, in Aſdrubale opprimendo, particeps cum *Salinatore*, noluit tamen ſocius eſſe triumphi; privatuſque Collegam, ſecutus eſt in Urbem, quadrigis ineuntem, quem, in prælio, *virtute*, præceſſerat. Tu verò ſolus Magne Königsmarchi, viciſti Romanas Aquilas,

tam

tam diu, vinci neſcias, quam diu neſcia fortitudinis tuæ, PRAGA, fuit. Ita tamen viciſti, ut honore tenus, tuum eſſet, quicquid ſtrenuè fortiterque factum eſt, honorem aliis, permiſiſti; eo planè tempore, quo, ſinguli *Reges* eſſe poterant, non *Duces*. Illos frui victoria, te tantum labore victoriæ, voluiſti. Cum tamen, velles nolleſque, verus triumphus, etiam abſque triumphi inſignibus, veheretur Tuus: in eoque dignitatis & honoris Curru qui cæteros vexit, non Tu quidem gloriæ contemptor modeſtiſſimus, ſed Tua, pro Te VIRTUS, atque moderatio, triumphavit. *Amore ſeducimur, odio peccamus*, pars eſt humanæ ſapientiæ tenere modum, quem obſervat, qui, ſibi de veritate conſcius, nihil, præter eam quærere, ingenuo poteſt ingenio profiteri. Dicerem adhuc, citra hujus pulcherrimæ virtutis diſpendium, magna *Königsmarchianorum* operum laborumque molimina; narrarem majora fortitudinis illius præconia; recenſerem maxima, immenſorum meritorum exempla; verùm ecce! declinat cum Sole DIES, & abit in VESPERAM, ut altiſſimè adhuc prominentes, virtutis ac dignitatis radios, præcipitet, aut in *Eclipſim* aut *Occaſum*. Utcunque ceſſerit, nemo certè Soli impoſuit, aut violentiam fecit ſyderibus; ſi aliud non licebit, Nocti & quieti, parebimus.

Quo conſilio, *Virtutem*, pro veſtibulo *Honoris*. Excubare voluerunt Sapientes Romani, quando utriuſque Numinis ædes, ita junxerant, ut *Honoris* templum, nemini ingredi, niſi per ædem *virtutis*, licuerit. Eadem ego mente, à *Königsmarchianarum* virtutum gloria, ad Honorum faſces, ſub quibus laborioſa tandem quieſcerent merita, oculos, animumque, adveſperaſcente Sole, opportunè traduco. Nec immerito. Incurvata

VESPE[...] Quietis, honoru[...]

laboribus Opificum cervix, quæ, ab Aurora, uſque ad Veſperam, diem tulit totum, ac pulverem, veſpertino tempore, à labore quieſcit. Poſt tumultuoſi murmura Nerei, luctanteſque ventos, ac tempeſtates, ſua, Sinum aſſecuti, Nautæ, contrahunt funes & carbaſa. Quid? jumenta veſpere ſolvuntur, & immunem ab operibus, noctem degunt. Arbores, paucorum menſium onus gerunt, &, ſub anni Veſperam, gravem illam, fœcunditatis ſarcinam deponentes, panſis ramis, velut manibus, ab onere conquieſcunt. Quid arbores loquor? quæ, quia vivunt vigentque ſentiant laborem & onus, neceſſe eſt. At etiam inanima, æs, ferrum, plumbum, lignum, ſingula, per tot artificum manus, ducta, traducta, reducta, cum ultimam exceperunt manum, quietis vim & ipſa ſentiunt, quamvis alioqui nil ſentiant. O me jam imparem ad proſequendum! ô me impotentem, ab Aurora, uſque in veſperam, ad tantum heroïcarum virtutum, meritorumque onus ſuſtinendum! Incuruor *Orbe* tuo, *Magne* KÖNIGSMARCHI, velut Atlas Cœlo. Ecce! adveſperaſcit, non tu tantis Illuſtriſſime Heros, aut naturæ, aut conſuetudinis moveberis exemplis? non tandem laborioſis operibus, operoſis laboribus, impones modum finemque; neque tantiſper remittes, depones, removebis, concepta ferrea acie negotia, procurata cruentis ſudoribus ſtudia, provectam chalybeo pectore ſolertiam? *Dies* inflectitur in *Veſperam*, abit ætas, in occaſum, quieſce mens magna, tanti Ducis. *Vires inſtillat alitque tempeſtiva quies*, ſed *Honoris*, quam, poſt tot tempeſtates, labores, merita, reſpexiſſe viſa eſt, & ſacra Regia Majeſtas Sueciæ, & Regni ſumma amplitudo ſenatus, ut, & in ſenatum, Regnumque legeretur KÖNIGSMARCHIUS, ut tantorum acceſſione honorum, tot ingentia

gentia domi foriſque negotia, tot parta bello paceque decora, denique tot curæ, labores, ſollicitudines, in Imperatorio munere, in Senatoria dignitate, in Ducali purpurâ, inter Cruces, claves, coronas, ſuaviſſimè, quieſcerent ac morarentur. Neque aliquid juſtius accidere potuiſſe cenſeo, quàm cum *Virtutes*, maximis junctæ ſunt *Honoribus*, ut eo evaderet *Æternatura* Heroïs noſtri GLORIA, ut quo ultra pergeret, non eſſet. O pulcherrima laboris atque meritorum præmia! ô digna prætia virtutis! quæ, ſicut dicendo æſtimari non poſſunt, ita iſta, quæ tantis ornatus geſſit honoribus, celari, non debent. Atque nimis illud tritum eſt, *Honores, mutant mores*: quoties animorum ſublimis altitudo, ſi virtute regeretur, in exemplum omni ſæculo ſuffectura; ubi, à fortuna altius extollitur, ſuæ præſtantiæ oblita, in contrarios affectus degenerat. *Athenion*, tam diu bonos mores, ad publicum probitatis exemplum circumduxit, quamdiu in Academiarum ſpaciis, inter famem & lacinia, de Virtutis pretio diſputavit. Oppidò Regnum nactus, non tantum cum regio paludamento philoſophiam excuſſit, verùm etiam pulcherrimam dominationem, in crudeliſſimam tyrannidem commutavit. *Abdolominus*, nihil minus; hic, quotidianum victum, ex hortuli cultu, ſuis quærere manibus aſſuetus, cum ad florentiſſimum Sidoniorum deſtinaretur imperium, optavit; ut quâ modeſtiâ inopiam tulerat, ea ſceptrum pati poſſet. Tantæ *Cæſaris* victoriæ non fuerunt, ut imperaret, quarum oblitus, plus criminis domi, quam laudis in Caſtris obtinuit. *Damaſippus*, nullas virtutes habuit, quas ſcelere corrumperet; itaque illius à nobis memoria, licentiore convitio perſtringitur; cujus inſana crudelitas, Principum Civitatis capita, hoſtiarum capitibus permiſcuit:

adeò, aut flagitioſiſſimi hominis Prætura, multum; aut Reipublicæ Romanæ majeſtas nihil tunc potuerit. Non diris iſtorum Heroïs noſtri movebatur animus, exemplis; ut cum *Sylla*, *Mario*, *Nerone*, *Tiberio*, *poſt longam rerum experientiam*, *vi dominationis convulſus*, aut aliquando convellendus, mutaretur. Quin hos ipſos tam eminentiſſimi muneris apices, ita affectibus ſuis addixit, ut nec alienæ fortunæ unquam acerrimus oſor eſſet; nec propriæ felicitatis prodigus contemptor haberetur. Præivit hominibus, ſed hominum cauſâ, nec Dominus & arbiter rerum factus eſt, ſed tutor, & adminiſter. *Nihil in vultu animoque mutatus*, *quaſi imperare poſſet magis*, *quàm vellet*. Ea moderatione, & *Belli Ducis*, & *Senatoris*, & *Gubernatoris*, tulit dignitatem, ut meritis ſuis, in tanto honorum faſtigio collocatus, ſupergreſſus ſit, non ſolum invidiæ conatum, ſed etiam diſertiſſimæ gloriæ præconium. In Heroïcarum Virtutum maximo apparatu, prima Virtus *Religio* ac *Pietas* fuit, quarum exercitia ante omnem expeditionem & vigilias, per turmas & cuneos inſtituit. Concionum, & cantionum ſacrarum, precumque humilitate, gloriam victoriæ negotiatus, acies inſtruxit. Tota illi fiducia de Cœlo fuit, hinc cum paucis, multos ſæpius fudit, ac fugavit. Nequaquam numerus, pignus victoriæ eſt, ſed virtus, ſed Pietas, ſed fides. Hæc habuit ante numerum, & ante multitudinem. Maluit bonos habere, quam multos. Cum paucis tamen, quia Bonis, auſus KÖNIGSMARCHIUS, non modo expectare hoſtem, ſed quærere, & obvio prævenire aggreſſu auſpicia ratus vincendi, *Pietatem*. Plurimus, id eſt, pro multis eſt, quiſquis pietatis virtutem colit, fortiſſimus quisſquis metuit Deum. Solum Dei timor, ut initium facit ſapientiæ, ita fortiſſime armat

mat ſatellites Patriæ. Cum abeſt reverentia Numinis, nutrit hoſtes, non Cuſtodes ſui, Regnum, aut Reſpublica. Siquidem Exercitus, quem injuria & impietas antecedit, plerumque cladem & interitum ominatur,& prius, quam hoſtes irruant, & ipſi ſibi hoſtes ſunt, & ſua timiditate vel diſcordiâ evertuntur; Divina vindicta eum exitum decernente, quem improba facta meruerunt. Non terruit fortiſſimum Pietate Heroëm, ſuorum Militum ſcelus aut metus, licet non minus metuendus, quam terror hoſtium: nam ſeu pugnandum, ſeu triumphandum fuit, pietate ac fiducia in Deum, & ardebat, & armabatur. Si dicendum eſt de moribus, planè germani erant, ac candidi, atque in tanto præſertim, ſagatæ togatæque exiſtimationis munere, rariſſimi. Politicam neſcio quam impolitam, & latentem in pectore calliditatem, laudarunt olim multi, neque adhuc deſunt, qui, ut fortiſſimos ita diſertiſſimos Viros, à rebus publicis propterea arceant; judicentque incapaces officiorum & munerum, quod nullum habeant vermiculum ſimulationis & fraudis. Hujus ſane fraudis, tam incapax fuit *Illuſtriſſimus Heros* ut,

— *magni præſentia Veri*,

in manu Cor gereret ſemper, nunquam amaret, mentis frontiſque diſſidium. Uſque adeò ſimulare non didicit, ut nec diſſimulare interdum voluerit; excepta prudentiâ militari. Quid de externo apparatu dicam? quo, non Romani Imperatoris imaginem, ſed ſuam, ſuorumque virtutem expreſſit, ut de ipſo id veriſſime uſurpari potuerit; *cultu modicus, ſermone facilis, adeò ut plerique, quibus magnos viros, per ambitionem, æſtimare mos eſt; viſo aſpectoque illo, quærerent famam, pauci interpretarentur.* Nam de Agricola quidem, cujus

 vitam

vitam Tacitus coloravit, ea ne virtus fuit, quæ famam ab omnibus, laudemque modeſtiæ meruerit, forſitan dubitari poſſit, cum loquente uno, omnes tacentes, ac Tacitos, reddiderit. At Heroïs noſtri virtus, etiam dum tacet, non tam auribus, quam oculis, multoque magis animis, tanto clarius loquitur, quanto minus oſtenditur; atque tot laudatores efficit, quot habuit ſpectatores. An his addidero, præter militarem, Civilem quoque prudentiam? Non ille memoriam antiquitatis, non Urbium regnorumque deſcriptiones & ſitus, non rerum OEconomiam atque ordinem publicarum, uſquè adeò cœlum ac terras animi quadam immenſitate complexus, oſtendit *Königsmarchiani* fines ingenii, non alios eſſe, quam mundi. Vidit maximum cùm conſilii, tum experientiæ lumen, S. R. M. Seciæ, atque ampliſſimus Regni ſenatus, fructuſque illius ſapientiæ uberrimos, totius Imperii decerpſit Majeſtas. Quantum in æquitate Juris, ac legum conſtantiſſimo ſtudio valuerit, expertum eſt, id toties, ſummum Regiminis tribunal, quod maxima non prudentiæ minus, quam Juſtitiæ laude decoravit. Tam comi dexteritate mixtam ſeveritate clementiam moderabatur, ut non modo Militem, ſed & Civem devinciret: ut, & qui illum amarunt, ob hoc ſolum metuerant; & quos ſuaptè conſcientia timere coëgit, illum non poſſent, non venerari. Si inter regias animi dotes, Liberalitatem KÖNIGSMARCHII, ſeorſim ab animo contemplor, non ſanè multum admiror quod vulgi plauſum minime meruerit; quem, ſecuta Invidia, malitioſâ cum rumore conſpiratione, ad Romanæ ſitim avaritiæ Munificentiam Heroïs provocavit; ut, cum aliunde non poſſet, hinc ſaltem lactaretur ingenioſa calumniantium voluptas. Sed non mirum: *Habet aliquid ex ini-*

iniquo omne magnum, exemplum prudentis, an verius prudentiæ animatæ oraculum eſt. Nemo fuit ex Magnis, in quem, non incurſaſſet *Livor* & *Invidia*. Nullum dabis Principem, cui vel ætas ſua ignoverit, vel in illo ſciens aliquid, diſſimulaverit ſæculum; nullum unquam dabis, quem ſua *virtus*, aut *fortuna* evexit, cujus prætextam, non fuiſſent mille livoris comitatæ maculæ, & uſque hodie paratus contemptus. Sed in KÖNIGSMARCHIO, nihil proficis male ſanus *Livor*, jam fata acceſſêre ad vota. *Voluntatem ejus*, hoc eſt, beneficii quoddam quaſi fermentum, aut ipſum potius beneficium, amplector & veneror. Si quidem aurum & argentum, beneficii materia, non beneficium eſt. Voluntatem (inquam) illius admiror, quæ, cum ſit pretioſiſſimæ fertiliſſimæque naturæ, muneribus adjuncta vel minimis, maxima extemplo facit. In lapide Philoſophorum, tinctores exiſtimant animam ineſſe auri, tam fœcundæ bonitatis nobilem, ut eam ſi metalli cujuſpiam portioni, tempeſtivus aliquis temperator aſperſerit, vel ferrum ipſum, quo, nihil poſſit eſſe contumacius, in auri naturam, pretiumque convertat. Videbit, opinor, etiam Livor & Invidia, expreſſam Heroïs noſtri munificentiſſimam voluntatem; etſi ingentes ubique largitionum ſumptus, aut exaggeratam pecuniæ corrogationem omiſerit. Probabit hanc eximiam voluntatem, quamvis largiendi quadam intemperie, neque omnem ſubſtantiam, neque villas, urbes atque integras provincias, projecerit. Regia virtus *Liberalitas* eſt, tyrannicum Prodigalitas vitium. nam Reges, benevolentia ſtimulat ad largitiones, Tyrannos timor ad effuſiones. Timidi, cùm virtute nequeant protegi; inani conantur profuſione animos offenſorum placare. Ita *Caracalla Cæſar*, æquè timidus

ac profuſus, ut ſtudia ſibi militum adjungeret, & ne deſertus imperium amitteret quod Virtus negaverat, publicum ærarium exhauſit. Hæ voces, meticuloſi ac prodigalis Cæſaris *Jam mihi* (inquit), *Commilitones, licet in vos maxima beneficia conferre: ego enim ſum unus ex vobis, cupioque propter vos ſolos vivere, ut multa vobis largiar.* Hanc Comitatem ut metus inſtruxit, idem metus munera denſavit. Sæpiſſime immodicas largitiones, non virtus, ſed vitium agitat: quoniam faſtus etiam impenſas habet; & quibus alia deeſt gloria, emunt aliquam muneribus auram. Et, qui magni non ſunt, magnifici quærunt dum prodigunt audiri. Verum enim vero *Liberalitas & ſimplicitas, quibus, ni adſit modus, in exitium vertuntur*, multum ante, veriſſimè mihi adnotaſſe viſus eſt, Romanorum Conditor annalium Tacitus. Equidem ſæpius in Orbe, ferrum audacius ſæviit in Majeſtatem ſimplicem, & ultra quam par erat familiarem. Liberalitate vero cum multis aliis, Rex Navarræ, *Garſias*, à ſe ſubditorum abalienavit animos, quâ, eos allecturum fruſtra ſperaverat. Alii dant multa, ut plura accipiant, alii cum Sylla, multum rapiunt, ut multa largiantur: ita Liberalitas, in ſuperfluitatem: ſuperfluitas in prodigalitatem; prodigalitas, in rapinam vertitur. Largiebatur Illuſtris Heros & inclytus Beneficia, numero multa & magna, neceſſitate majora, pretio maxima, non aurea modo, ſed aurum ipſum. Verum illis, in quibus, famæ, gloriæ, atque ſecuritatis publicæ fundamentum ponebat. Largiebatur & aliis, quia merebantur, ut fortes: aliis, ut mererentur, ne perirent ignavi. Magna ſunt iſthæc virtutum decora, quarum clariſſimus fulgor, & invidiam perſtringere, & amorem in animis omnium conciliare poteſt. Magna ſunt, ſed fortè pri-

privata, ſine quibus tamen publici Honoris apex, atque communis dignitatis neque ſtat, neque durat faſtigium. Utinam in hoc virtutum ſtudio ſtadioque JOHANNI CHRISTOPHORO KÖNIGSMARCHIO, eſſent multi ſimiles, qui titulo non diſſimiles; quorum plerique (referre nolo) in hac altitudine non niſi alti ſunt; in hoc faſtigio, nil niſi faſtigia; &, ut Cupreſſi, cætera ſteriles, præter ſpeciem, nihil habent in Honore, honoris. Qui, tantum fortuna contenti, deliciis evirati, emaſculati voluptatibus, otiantur; & alii, poſt ſimiles, cultu molles, luxu languidi vincuntur *fatali omnium ignaviâ.* Nunquam KÖNIGSMARCHIUS magis, quàm cum Belli Ducis fungitur officio, inter ferrum & ignem verſari: nunquam magis, quàm cum ſenatoriâ pollet purpurâ, fervere conſiliis: nunquam magis, quàm, cum Gubernatoris & Principalis quaſi honoris ſuſtinet faſtigium, ſeipſum publicæ utilitati devovere, potuit, voluit, optavit. Teſtes cruentæ victoriæ; teſtes rerum feliciſſimi eventus. Teſtis uterque Ducatus, Bremenſis & Verdenſis, quos, & divinâ conſiliorum providentiâ, & armatorum hominum copiâ; alterò, ut provideret ſapientiſſimè; alterò, ut fortiſſime tueretur, ornavit, & munivit. Brema & Verda, utraque Principum purpuratorum quondam ſedes, & ſolium, nunquam horum pulchrius, addo, & glorioſius, quàm ſub KÖNIGSMARCHIO, ad virtutem, famam, & gloriam, reſplenduit purpura. Brema & Verda, quæ jam, poſt atroces bellorum vexationes, poſt ſanguineas armorum tempeſtates, fortunatis KÖNIGSMARCHIANÆ, fortitudinis auſpiciis, à tantorum atrocitate periculorum, & reſpiraſſe ſibi, & cum viribus, fortunam quoque reparaſſe, gloriatur. Poterat in tanta

 tem-

temporum quiete, atque ampliſſimo dignitatis faſtigio, laborioſiſſima Heroïs noſtri mens, & animus, quieſcere, & deliciari: poterat ſub immenſa geſtorum ſuorum gloria, quaſi liquefactus ad ſolem, diſfluere voluptatibus & capricari: niſi ut in bello, æquè ſic in Pace, didiciſſet, *Imperatorem, ſtantem debere mori.* Adeò, luxum, delicias, voluptates, non ſectatus eſt, ut eorum quoque hoſtis eſſet, non Patronus, qui eas ſectantur. Hæc una cura fuit, hæc ſollicitudo, Civibus providere, quaſi in defectu; curare ſubditos, tanquam in neceſſitate; milites exercere, quemadmodum in Bello. Hoc opus, hic labor, Heroïs, publicæ providere Saluti, remiſſam armis expolire ſolertiam, præſidia militibus replere, aut evacuare: veteres muros, aut aggeres reficere, vel nova munimenta præparare, & quaſi inter aſſiduas bellorum tempeſtates & prælia, non fugam aut vitam emere, ſed ſtragibus atque mortibus incubare. Et, ne quidquam deeſſet muneri, quod non reſponderet labori, ipſe aliquando miſcebat officia, non vilia, ſed fortia, quæ tamen minor remitteret; par refugeret: ſuperior, non dignaretur, quoties ſolus, ad Villas, Urbes, prædia, iret, & obiret præſidia. Hic quoque æmulatus induſtriam Solis, atque ipſum ſolem, quem author naturæ & opifex, ambulare perpetuo juſſit; ut, quoniam prodeſſe ſtando non poteſt, proſit cuncta obeundo. Ibat, redibatque viciſſim Sol noſter, in pulvere & ſudore, ac perpetua in ferendis & transferendis, ſagatis, togatiſque conſiliis, actione, ſplendidus & illuſtris. Non ut ſemper bellare videretur, ſed quod aliter hic Gotticus Hannibal, facere non potuit, ita ſæpius inter eſum, potumque; ſomnum & vigilias: dominationem & conſilia, armabatur. Etſi toto hoc tempore, quo *Belli Dux*, *Senator Regni*, &

Duca-

Ducatuum *Gubernator* exſtitit, eſſet nemo, qui hoſtem vellet, omnes cuperent amicum. Tamen, vel ex diuturniori ipſius abſentia, apparuit, *quantus* fuit; quæ tam facile, perfidiam ac temeritatem, in militibus & Amicis, aut rebellandi, aut hoſtiliter agendi perſuaſit. O abſentiam! illi fortè acerbam, nobis prope funeſtam, ac luctuoſam! cujus cum adhuc recordor, cogor *Solis* noſtri, atrociſſimam repetere memoriâ, *Eclipſim*. Pleroſque mortalium, vidimus perturbatos, ac planè perculſos, qui repentinas in Sole tenebras, veluti prodigiales, fataleſque, ſuſpiciunt & per horreſcunt; hoc eſt, Reges, & regna nutantes, inexpiabiles, luctuoſas; quæ, calamitate, aut ſanguine potius humano, quàm ſuâ conſuetudine, ac quadam mutatione paſcantur. Sic enim plerumque genus hominum, aut ſuperbum, aut arrogans, aut meticuloſum, ac deſes; quaſi non ſatis abundeque periculorum ſuppetat in terris, etiam è Cœlo, fingimus, vel acceſimus inſidias. Adeò vel ſummis in malis, faſtum & pompam amamus, quaſi mortales, capi, vulnerari, occidi & trucidari non poſſint, niſi rerum natura perturbetur, ac cœlum ipſum, ne illachrymari fatalibus caſibus cogatur, ſuum oculum claudat; aut noſtris interim oculis tenebras offundat, donec ad contrarios eventus, & luctuoſa funera, humana faces inveniat vel accendat induſtria. Ita in die, & Sole, laboramus. Equidem alia omnia meditatus, nihil in hac ſolis noſtri *Eclipſi*, mali, nihil portentoſi, præter quandam humanam viciſſitudinem, JOHANNI CHRISTOPHORO KÖNIGSMARCHIO, comminiſcor. Quod cum facio, rem ſane audeo, ſucceſſus non perinde fortunati, quæ, cum imperio famæ, atque pondere rumoris, uſque adeò tangenda ſit acu; ut ab eo charactere, quem molior imitari, ne in melius

ECLIPS[is] Captivi[ta]tis.

lius quidem, etiamſi poſſem, aberrare liceat. Cæterùm volo, ex hoc caſu; infortunium, non aliter argui, quam ipſa tot caſibus infamatur *Fortuna.* Fortè, per *Carolum Guſtavum*, Suecorum, Gottorum Vandalorumque Regem, Lex illa Bellorum communis, Polonorum etiam Genti, libertate magnæ, & armis inclytæ, atrox bellum indixerat; cumque jam & Sarmaticos Campos, & montes Carpaticos, Victoria Suecorum exceſſiſſet; ne hac una Königsmarchius privaretur gloria, ſi deeſſet; ut adeſſet, ab Invictiſſimo Principe, vocabatur ad palmam. Paruit Heros noſter. Et, qui, imperatorio exemplo, *nunquam in ſuam famam geſtis exultavit*, *ad auctorem & ducem*, *ut Miniſter*, jam quoque *Fortunam* & arma referret, propè antequam vocaretur, apparuit, ſi elementa paruiſſent. Nimirum, iſta celeritas, *Plus ultra*, velificantis manus & dexteræ, ut ad majora militaris roboris ac fortitudinis molimina, provehendum in medio felicitatis & gloriæ, generoſum pectoris navigium, immenſa militandi cupiditate velis productâ remiſque, unà cum Heroë fortiſſimo (ſi unquam alias) certè hac occaſione, ad *Æternaturam Gloriam* provehebat. Verùm, *rumpit, interdum moratur propoſita hominum*, *Fortuna:* fortè etiam agimur arcana quadam fatorum lege, neque eſt ſemper in Nobis ſitum, ea eligere, ac ſequi, quæ ratio ſuggerit, tanquam potiora. Ferebatur, velis, Magnus militiæ ductor, non cum milite ſed proditore, per lacum Balticum, ut compendium itineris præverteret agilitas ventorum. Sed irato Neptuno, quem nunquam placaverat, in ſinum hoſtilem, quem fodere mallet, quam ſulcare delatus eſt, ut, ubi pugnare, & præliari non poſſet, ad inertes anchoras, otiari cogeretur. Quid ego hic, Homines deteſter? an increpem ventos? Quid enim importunius

potuit

potuit excogitari, quàm, ut ibi vinciretur, ubi vincere voluerat? Dixi ventos, eodem ſenſu pravitatis imbutos, quo homines obcalluerant. Quos homines puto? Scotos efferatos: non homines, ſed belluas; nec milites, ſed proditores; qui, non arma, in ſignum plus æquo honeſtum, ſed proditionem, in KÖNIGSMARCHII captivitatem collineantes, Solem ipſum non extinguere, ſed obſcurare, potuerunt. Ut tantum nefas averteret, quæ non Centurionis monita præceſſerunt, quibus eos rogare, & obteſtari non deſtitit, ne ſcilicet, brevem voluptatem, Magni Ducis periculo ſaginarent, ne proditione, tanquam parricidio, militares macularent manus. Nullum haberi jus, *poſſe temerarium*, quod ſibi quiſque per furorem, inconſultâ prius æquitate conſtituit. Irent in *Livoniam*, neque inferrent crimen & dedecus Genti ſuæ, atque deſtinatum ſibi imperium exequerentur: in mandatis adeſſe Regem, quem colere, & jure ſacramenti fideliſſimo venerari oportet. Proinde ſtatuerent iræ modum, temeritatem conſilio maturiore corrigerent; reprehenderent impiam mentem & conſilia, dum licet; ne, poſteaquam à recto diu deerratum eſt, faciat ipſa perfidia, præcipites. Quas ſanè voces, ſaniorem mentem deprecantis, & execrandum proditionis facinus objurgantis Centurionis, globus ille conjuratorum infamis, credo, percepiſſet, niſi aut armorum fragor importunus, eorum auribus tunc obſtreperet; aut potius corruptos non aurâ, ſed auro animos, ejus fulgor, non furor, obtudiſſet. Et debuiſſet moveri, ſi quod hæc infidelitas, cum ſolis noſtri virtutibus, habuiſſet commercium: verum, quos ſuæ jam ad facinus, faces ac furiæ ſtimulabant; non illos, facti turpitudo abſterruit; non inſitum martialibus animis parendi obſequium, retardavit, non denique Sceleris apud Scotos inauditi conſcientia: non

Ducis authoritas; non pœna, non ipſum facinus, ad quod ferino, non humano more graſſabantur, contumaces illorum atque impios conatus infringere potuerunt. Viderat hanc non longè poſitus hoſtis opportunitatem, addebatque flagitio, conatum, vel inde victoriam auſpicatus imbellem ac facilem, quod ſibi confligendum, cum Viro inermi, non armato; in aqua, non in terra; nec cum viribus, ſed fortuna, perſpiceret. Fateor hic, non tam ad hoſtilem adventum, quam proditionem ſuorum, perculſam fuiſſe non nihil mentem Magni Königsmarchii. Nam ad ſubitum infortunium, nemo non obſtupuit, & plures illachrymarunt: quia in malis repentinis, potior Cauſa, quam eventus videtur; in quâ, difficilius finem, quam initium occupamus. Quamquam, ut ſortem vertere non licuit, reſumpſit animum; ac rediit ad ſeſe depreſſa parum ac reſidens, ſed non oppreſſa penitus atque extincta fortitudo: atque impetum illum doloris, quem non ex captivitate, ſed facti concepit injuria, deinde conſultius remiſit, ut in adverſitate quoque fortis & magnanimus haberetur. Neque aliud facere potuit, quàm, ut cederet tempori, poſtquam ceſſiſſet proditioni; ablocatoque aliis muneris ſui exercitio, fortunam ictu prævertit, & ſemet antequam teneretur, in captivitatem pertraxit. Intravit igitur non ſinum Gedanenſem, quam ipſum Gedanum; ſed eo vultu atque animo, ut triumphantibus de ſe hoſtibus, metum ac formidinem incuteret; ac victus, propè Victoribus eriperet triumphum. Facile enim ſe tuetur ac explicat, etiam vinculis conſtricta, ex arce præſertim ſua, imperatrix acerrima, fœdiſſimæque expultrix injuriæ, Virorum fortium, *Patientia.* Satis per ſe formidoloſa, non alio ſane telo, quàm nomine *brevitatis*, quo nihil eſſe fortius ſolet. Hæc, pro ipſo infortunio, cum for-

tuna

tuna pugnabat; &, mentis libertate, de captivitate corporis, triumphabat. Enim verò vix ſeſe hoſtium in conſpectum dedit KÖNIGSMARCHIUS, cum illa ſenſim hoſtilis lætitia, repentino velut fulmine langueſcere, atque hebetari primum cœpit; mox in terrorem evaſit amentia; factum, in formidinem: in religionem, caſus: in venerationem, captivitas. Dum aſpicit omnes, dum ſingulis minatur, dum cum paucis loquitur, quantâ vi ferebatur in animos? quam varia ſupellex argumentorum; quam frequentes verborum aculei? quam apta perſonis oratio? converſatio? adeò, ut appareat, nihil admodum aliud, ad retinendum militaris Campi principatum, Heroï noſtro defuiſſe, quam Campum. Alius, in ſimili fortuna; non miſiſſet verba, ſed ſuſpiria: non concepiſſet voces, ſed lachrymas; &, in tam graviſſimis, & loci, & Cauſæ, & temporis, circumſtantiis, aliud non egiſſet, quam Animam. Cùm Tu, Illuſtriſſime Heros, mox ut eo evaſiſti, hauſiſti ſuaviſſimum cœli ſpiritum, tantumque cœpiſti, captivæ libertatis occaſionem, non ferre modo patientius, ſed ſenſim amare conſtantius; ut, qui aliis tribuebas abeundi celeritatem, redeundi certè tarditatem, tibi jam imponeres. Etenim hoſtes invadere, vincere, profligare, ſanguinis effuſione, Civium ſtrage, clade Urbium atque populorum; ad ampliſſimum dominatum iter ſibi atque aditum aperire; ſimul, tot triumphis, quot victoriis, ad coronas, honores, & Majeſtatem graſſari; magnum quiddam, arbitratur, & admiratur mortalitas. Sed hoc humanum atque populare genus eſt miraculi. Nam ferrum, exæquandis, ac demoliendis rupibus per ſeſe natum; hoc amplius habet ab arte, ut etiam alatum fiat, ac volucre; quò celerius pervadat omnia, perrumpatque, & Potentiſſimis, populorum atque Urbium, in-

teritum cladémque incredibili feſtinatione, deportet. Glorioſa ſint tamen iſta, quæ, ampliſſima quoque ſunt *Königsmarchianæ Gloriæ*, monumenta, at major redundat, ex propria ſui ipſius victoria triumphus. Juxta illud:

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia; nec virtus altius ire poteſt.

Quid enim in Invictiſſimo *Heroë*, majus unquam fuit, aut eſſe potuit? quàm, cum ſe ipſum vinceret, & hac fortitudine fretus, omnia Captivitatis incommoda, ſolitudinem, contemptum, dolorem, ludibrium, feliciſſime ſuperaret. Quid unquam fortius? quam occupare, arcem pectoris ſui liberrimam, quo, non aurum, non ferrum, non proditio, modo ipſa ſe tueatur, irrumpit. Quid unquam glorioſius? quam expugnare animum obfirmatum, contraque nitentem acerrimè, rapere quo velis, ad iram, ad miſericordiam; ad furorem, vel patientiam impellere: ac pugnaciter aut blande incitare: ardentem flagrantemque extinguere; frigidum ac remiſſum, veluti facibus inflammare. Spem, metu retundere, odium, amore compenſare: confidentiâ, verecundiam temperare: non ferro, non flammis, non ſtrictis intentatiſque mucronibns, non ex aggeribus, propugnaculiſque caſtrenſibus; ſed ex magna mente, proprio virtutis robore, de ſe ipſo triumphare; eſt tantum glorioſi operis moliri, & victoriam omnium maximam, pulcherrimamque reportare. Hoc enim verò magnum quid eſt, hoc admirabile, hoc propè divinum, nec niſi pulcherrimum meritoque princeps cæterarum laudum efflagitat præconium. Adeo, nullis bellis eſſet opus, ſi animorum victoria, armorum violentiam aut neceſſitatem præceſſiſſet. Et mirabimur, ſi Illuſtriſſimo, pariterque fortiſſimo Heroï, non dura fuit, aut mo-

moleſta tam diuturna captivitas? ut ſeſe vicit, ut proprium animum expugnavit, non fuit Captivitas, ſed ſuaviſſimum otium, non otioſè tranſactum. Errabat illic, per ea loca vagus, ac liber mole curarum animus, atque inter anguſtos parietes, ipſius Urbis ac Orbis potentiam prætergreſſus, plane iiſdem, quibus ſol gradibus, cogitatione pervadere orbem terrarum, vaſtitatem regnorum ingentium, copiarum vires, opes regionum; Urbium decora, famam, potentiam, dominatum potuit. Sed inter alia blandimenta avocationis; occurrebat frequentius in oculos, communis mortalitatis *Viciſſitudo*; quâ, plurimum abundat, fortunatus iſte mundus, &, neſcio, an ad hominum labores in pœnam exercendos; an potius ad altiſſima præmia ſublevandos, ab Auctore omnium deſtinata. Ad cujus memoriam, excuſſa voluntas, inverſa vota, honeſtata captivitas, confirmata cupiditas, an bellandi tantum? verè etiam prædandi & rapiendi, ſed pro ſupellectile opulentâ, virtutes, atque animi bona: pro gemmis & auro, ſalutem & vitam: pro numeroſa pecunia, veniam reatuum expeditam; pro theſauro opibuſque terrenis, cœleſtes beatorum divitias: denique pro innumeris victoriis & triumphis, immortalem *Æternaturæ Gloriæ*, CORONAM. Sed enim in Cœlum, nemo ſerò venit, ubi æternùm acturus eſt, Heroë verò noſtro, *Regi*, *Regno*, *Poſteris*, quam opus erat, quibus prodeſſe, niſi vitâ, non poterat; oſtendit, rerum futurarum, quæ in reditu ejuſdem acta ſunt, ſerenius argumentum. Quare, tempus erat, ut diuturno captivæ libertatis tædio, finem imponeret, non quidem temporis illius tranquillior facies, ſed ipſa KÖNIGSMARCHII fortitudo, ut, tunc potiſſime, cum hoſtes ſuos, ac ſeipſum viciſſet,

 etiam

etiam inciperet, de Livore ac Invidia triumphare. Tempus erat, ut poſt tantas obſcuritatis nebulas, quæ, bonorum quoque oculos & animum affecêre; Sol ſuam iterum faciem oſtenderet; atque *Diem* KÖNIGSMARCHII, cui ſe hodie uni debet, luce ſolita illuſtraret. Toto quippè Eclipſis tempore, non deerant apud nos, & quidem extra ſcenam, fabulamque, humani Vejoves, planeque ſeſquidei, qui intemperantiâ quadam, adverſus Magnorum obtrectationem, invidioſis Aſtris, tanquam clypeis uterentur: &, dum Magnanimi *Heroïs* abſentiam, arcanis temporis radiis ſuperſtitioſè, ne dicam invidioſè rimantur; uno aſpectu, quaſi nutu ſyderum admoniti, plurima prædixerint. Quaſi humana liberaque negotia, habenis Invidiæ vincta temperentur, nec niſi ducente, & aurigante *Livore*, vitæ ſpatia homines decurrant. Profectò ſolare lumen, nec plena auget Luna, nec obſcurat triſtem quandam nebulam aut maculam paſſa; credo, Invictiſſimi Heroïs decus auctum potius adverſo caſu; in quo non inconſtantior fortuna fuit, quam KÖNIGSMARCHIUS conſtans; cujus inclyta Virtus, non naturam ſequebatur fortunæ, ſed ſeipſum: ut nec proſperitatis accreſceret honore, nec decreſceret adverſitatis injuria. Adeo, fuit felix, etiam cum Invidia non voluit eſſe. Cæterùm non mei muneris eſt latentium Providentiæ conſiliorum Cauſas evolvere, velataſque obſcura caligine explicare rationes. Quamquam eam Eclipſim Solis noſtri, ſupra uſum communem æſtimantibus, haud judicatu difficile fuerit, occulto ſummi Moderatoris arbitrio contigiſſe, ne illuſtriſſimis fortitudinis ſuæ radiis, tot fortiſſimorum Virorum gloriam, expungeret: aut ſi quid ſiniſtrius, incerta Martis alea, cæteris portendiſſet, ipſe, ad publicam ſalutem, *Sta-*

tor

tor ſalutis publicæ, ſervaretur. Quamquam jam aliud nobis ſperandum erit, à publicis meliorum judiciis, in hac reductione Solis, cujus *Æterna tura gloria*, in eam famæ Celſitudinem, apicemque conſcendit, ut quod aiebat ille; *nullius jam laudibus creſcat, nullis vituperationibus minuatur*. Et vero *Königsmarchianarum* Virtutum commendatio, & palmaris fortitudinis decus; & maximorum Honorum amplitudo, non ſanè promptum nobis ea laudandi atque prædicandi reddere videntur officium; quin hærere neceſſe ſit, quam potiſſimum, & quid nam prædicemus. *An bellicum munus?* quod, ipſe, prodigioſâ fortitudinis ſuæ magnitudine, inter frementium armorum ſtrepitus, per obſtantes toties hoſtium catervas, per ipſas Orbis ſub proprium jugum cadentis ruinas, victis hoſtibus, ſignis ablatis, exutis caſtris, atque ex ipſo ſanguine ferreis enatis viris, evexit, atque immenſâ geſtorum gloriâ, vel invidentes perſtrinxit, vel amantes recreavit. *An Senatoriam dignitatem?* quam, ipſe inſolitâ quâdam in conſiliis dandis & enucleandis dexteritate, in tot perplexis Regni negotiis, in pernicioſis rerum hominumque caſibus; atque ipſius ſæpe Status incertis eventis, erexit; atque magnæ mentis capacitate, multa in omnibus, domi foriſque, Bello Paceque, non abſque hoſtium terrore, & ſuorum admiratione, complexus eſt. An *Gubernatoris auctoritatem?* & in ipſo Ducatu, Ducalem quandam eminentiam? cujus purpuram non tantum providâ moderationis cuſtodiâ, felicem ac florentem reddidit, ſed ampliori etiam ſplendore, quam acceperat, apud Hoſtes, Amicos, & Vicinos, illuſtravit. *An omnium Bonorum?* quæ, in Sacram Regiam Majeſtatem, Regnum, Senatum, Civem, Militem, Subditoſque, denique in Civitates, Villas, prædia, ac Præſidia, tandem vel prove-

niunt, vel profecta ſunt, vel impoſterum à Poſteris profectura ſperantur, auctor & origo exſtitit. Etenim tot rivis, ex uberrimo dignitatis illius fonte, alienæ manant utilitates, quæ, ſi ſpectarentur ſingulæ, aliis potius illius gloria prædicanda foret, quam Nobis, qui cum de ſua Dignitate, *Honorem*, *Deo*; *Ornamenta*, *Regno*; *Commoda*, *Militiæ*; aſſignaverit: Sibi, niſi laborem, curam, ſollicitudinem reſervare non voluit. In tanta igitur *Virtutum*, *Honorum*, *Bonorumque* copiâ, quâ, & militari, & Senatoriâ, & Ducali gloriâ abundat, etiam inclytæ Proſapiæ gratulamur. Tot enim Virtutum radii, illius ſydus illuminant; tot ſydera, honorem ſuum in illam conferunt; vel potius, illius in ſe Soles admirantur; ut in hac quam meritò adornamus laudis *Æternatura Gloria*, metuendum ſit, ne quemadmodum de *Philippo*, puer Alexander queſtus eſt; ita cum JOHANNE CHRISTOPHORO KÖNIGSMARCHIO, Poſteritas tandem expoſtulet; quod illi, nihil fere reliquerit, unde novi aliquid, *Virtutum*, *Honorum*, *meritorumque*, ornamento inſerere poſſit; cumque patentiſſimum imitandi ſe campum aperuerit, aſſequendi certe omnem præcidiſſe facultatem videatur. Nihil amplificationis cauſa contendo, cum extenuanda mihi potius eſſet magnitudo *Inviĉtiſſimi Heroïs*, ut hoc ſaltem modo cadente *Die*, dolori meo verba darem, ac vulneri mederer in ſpeciem; ſed rerum nempè omnium, etiam doloris, imperatrix eſt veritas, quam Ego dum ſequor, nihil præter eam quærere ingenuo poſſum animo profiteri. Ergo poſtquam è *Caſu*, in *Occaſum* venit KÖNIGSMARCHIUS, tantarum virtutum magnitudinem & claritatem, vidit in ipſo *Occidente* Occidens, & miratus eſt. Eo maximè tempore, quo utriuſque fortunæ *Regium Virum*, non tam in Campis,

Pugnis,

Pugnis, Præliis, quam in ipſo Suecorum, Gottorum Vandalorumque Solio atque Imperio, ſuſpexit, atque ejuſdem in Orbe Suecico præſentiam, non celebri ſolum acclamatione tanquam voce unius excepit; verum inauditi ad eam diem honoris gratia; (credo) ut ad illius ingentia meritorum decora, æquali aliquo plauſu pertingeret, Magnanimo Heroï aſſurrexit. In hoc ſplendidiſſimo Regis, Regni, Procerumque Comitatu de magni prærogativâ Honoris, dum dicere ac recenſere cupio, dies ſeſe convoluit, ad ultimam ſui partem, ſcilicet ad *Occaſum:* in quo Illuſtriſſimus Heros noſter, JOHANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS, mutatâ repente in hac ſcena cataſtrophe, cum Sole à nobis abſcondi, atque noſtris ſeſe oculis ſubducere incipit: fortè non modicum offenſus, quod paucula hæc illius Virtutibus, Meritis, ac Honoribus, ſubjicienda Veritas, verba extorſit. Non quod veritatem ipſi unquam diſplicere poſſe credamus; at quia laudum illius mentio, ipſi verecundiam elicit, quam, vix multis objecta vitia excuſſiſent. Verum enim verò, debitum hoc virtutibus illius penſum minime negari potuit; nec digni eſſemus, de *æternatura Gloria*, verbum facere, ſi illa tacuiſſemus, quibus ipſe, in ſe ipſo, vere *Magnus* fuit, & *Glorioſus.* Sane dolendum dixiſſe meritò videri poſſum, cum pronunciarem, ſeſe ſubducere à nobis KÖNIGSMARCHIUM voluiſſe; &, cum *Sole* quem ab *Oriente*, uſque in *Occidentem* meritis ſuis quaſi veſtigiis, ſecutus eſt, terris noſtris occultari. At planè ita eſt, abiit à Nobis, ne *Æternatura* tanti *Heroïs Gloria*, per multorum oculos, veluti manus, attereretur, minueretur que, ſed ut integra ad Poſteros perveniret. O nobis ingratas, *Invictiſſimi Heroïs, Illuſtriſſimi Comitis, fortiſſimi Ducis, ſapientiſſimi Senatoris, providentiſſimi,*

OCCA
Vit

Gubernatoris, denique amantiſſimi Patris, inſidias! ô triſtem in fuga dolorem! Elegiſti tu quidem, Heros inclyte, tenebras claritati tuæ, ſed hoc inter nubila non videbas, *facilius eſſe, ut oculis noſtris vultus abſentis, quam animo charitas excideret.* Non videbas, *Amorem*, rem igneam, eſſe quæ non ardore magis, quàm luce ſe venditat. Non videbas, modeſtiam illam, & fugam *Gloriæ*, veluti receſſum atque umbram, hoc agere, ut colores magnitudinis tuæ, ſplendidius illuminati, magis in animis omnium, quam in oculis, cernerentur. Verum, i, fortunatiſſime *Heros*, quo, Tua *te Virtus*, *Pietas*, ac *Fortitudo* invehunt. Vehunt ſane, quis negat, in Cœlum? niſi tu illa hodie revocaſſes in terras. Sed nimirum, te, ſupremis illis orbibus parem intelligunt, dignumque propterea, apud quem jam pacatiſſime divertant; cui, multum merito tribuant; quem, unice venerentur: imo ad *Æternaturæ* Gloriæ Tuæ Currum, velut ad Cœlum ſuum, affixæ; *Poſteris* quoque Tuis, laborem probant, operam locant, atque manum admovent aurigantem. *I, fortiſſime Virorum*, non in Cœlum modo, quam tibi ſedem Pietas conſtituit; ſed in Orbem quoque terrarum univerſum; ubi *Famâ*, *Virtuti* tuæ locum; *Meritis*, gratiam; *Honoribus*, gloriam, adornat; in hominum linguis, in monumentis Urbium, in memoria Poſterorum. Sed hactenus *Occaſus* fuit, quem lege ſuâ ſequitur triſtiſſimæ Noctis apparatus. Spero tamen ab iſta luce ſplendoris *Königsmarchiani*, quæ me ab *Aurora*, uſque in hanc atram *Noctem* deduxit, impetraturum aliquid, quod ingenii excuſet tenebras & obſcuritatem.

[N]ox [M]ortis. Planè *Dies* moritur in *Noctem*, id eſt, *Nox* eſt, ſed atri doloris, in quâ, *Illuſtriſſimus Comes* Johannes Christophorus Königsmarchius longè diverſum

à no-

à nobis ingreſſus eſt iter, nec *abiit*, ut putabamus, ſed *obiit*: ac mutatis repente occupatiſque partibus, in juſtiſſimæ voluptatis & gaudii poſſeſſionem, immigravit *dolor*, ut quem procul à Nobis abire, ac vivere vix tulimus; eum omnino non vivere, morte ipſa funeſtius lugeamus. O legem ineluctabilem mortalitatis, ut eos quoque mori oporteat, quos eſſe deceat, immortales! Obiit Heros vitâ longiori digniſſimus, &, quod ſine ſenſu doloris, dici non poteſt, cum procul à Nobis ageret obiit: clauſitque cum Sole, oculos, ſuos-ne dicam? an noſtros ipſorum, qui virtutes ipſius & merita, qui inſignia geſtorum illius decora, hiſce plus oculis amabamus. Obiit (inquam) vitâ longiori digniſſimus; quid enim vita dignius videri poterat? eo nimirum *Heroë*, cujus ingenium acre, vividum, magnum, ac multiplex, non ætatem modo ferebat & corpus, ſed ipſam omnium ſuſtentabat ſalutem, fortunam, ſecuritatem. Ut ſanè veluti multorum virtutes, expreſſit unus ac ſuperavit, ita multorum vitam merebatur: niſi natura comparatum eſſet, ut ipſam mortis atrocitatem, mortalium ſolaretur æqualitas. Remitteremus aliquid dolori, ſi ſupremis ſaltem officiis licuiſſet comitari morientem, extremos expedire complexus, oſculari manum illam tantorum operum molitricem, audire noviſſimas voces, quibus rogare, & imperare conſueverat. Sed & hæc amoris obſequia, abſtulit à Nobis, Fati crudelis immanitas; neque iſtud permiſit, ut ſaltem cineres, *Magnæ* nuper *Hoſpites Animæ*, propè Nos, aut nobiſcum conderentur. Quam fore ſperarem, Heros inclyte, ut ea conjunctione, aut vicinitate, ſi minus Tui; certe Lucis Tuæ jactura, quam hodie fecimus, compenſari potuiſſet; luciſque deſiderium vel umbra leniri. Verùm quòd maximè jacturam noſtram, doloremque ſolari & con-

ſolari poteſt, erit, *beatus ex hoc mortali corpore exitus*. Cernite, in hac ipſa mortis luctâ, & Agone, inſignem ante virtutes alias Pietatem; quæ, ex Heroïs vultu, velut tacitus quidam mentis interpres atque arbiter eminebat. Videte cordis atque Animæ compunctionem, quæ ſuaves ex oculis præ voluptate lachrymas profundebat. Aſpicite in ipſa fronte gaudium, quo, non ad tumulum, ſed triumphum ducebatur: cum animadverteret, ſe exuvias mortalitatis, in eo loco, in ea Urbe, in eo Regno deponere, pro quo, tot annis ejus ſudabat dexteritas, & fortitudo: ubi libenter vota ultima Authori Deo redderet; ſiquidem ab hoc Cœlo, auctore eodem, ſalutem, fortunam, & ſtatum florentiſſimum accepiſſet. Hæc atque alia, cum pientiſſimus, atque in ipſa mortis atrocitate invictiſſimus animus, meditatur: ita movebatur animo, ut circumſtantes quoque commoveret aſpectu ſuo; nec expectaret magis promiſſam, à Chriſto Redemptore, *Coronam vitæ*, vincentibus, quam ab omnibus ſpectaretur. Sed ille, *tanto impenſius in ſecuritatem compoſitus, neque loco, neque vultu mutatus*, proſecutus eſt ſingulos, voce, manu, nutibus, cujus propè noviſſima humanitatis officia, dum *Ottho Wilhelmus*, alter cariſſimorum pignorum, interpellat; memorabile ſæculis, addo, omnibus Chriſtianis, reddidit reſponſum. *Sinite me*, (inquit) *ultimis in caſibus meæ impenſius adeſſe ſaluti, ac noviſſimis breviter favete laboribus; quos, ſexaginta plus annis, veſtræ ſaluti & fortunis impendi.* O vocem, cedro dignam! ô animum in ipſo mortis contemptu, glorioſum! quem, nunquam hactenus, neque in medio flagrante Bello, niſi nunc, in altiſſimo cœleſtium deſideriorum ſuſpirio, cum ipſo regii nominis ſpiritu, Anno ſæculi, atque ætatis Climacterico, 63. Menſis Februi Die 20, *Holmiæ*, Urbe Regia, & propè Regem, ac Regiam, placidiſſime depoſuit.

poſuit. Debebatur hoc, inclytæ *Königsmarchiorum Familiæ*, quæ, merito ſane ſuo, Regni *Suecorum*, *Gottorum*, *Vandalorumque* cultrix; ut non alibi, quam eo in Regno, cujus cauſâ vixerat KÖNIGSMARCHIUS, moreretur. Debebatur hoc, etiam *Sereniſſimæ Coronæ Sueciæ*, ut & ejuſdem *Regiæ Majeſtatis*, beneficiis, quæ, JOHANNEM CHRISTOPHORUM KÖNIGSMARCHIUM, *Comitem*, *Belli Ducem*, *Senatorem*, *Gubernatorem*; ſummis Titulis, & honoribus decoravit: ut idem ipſe morti proximus, planè cum mortalitatis vincula ſolveret, ac ſolveretur, obligatum ſe tamen *Regiæ* Liberalitati fore, vel in *Cœlis*; in terris vero per *Poſteros*, ſerio profeſſus ſit. Debebatur hoc tandem, ipſis *Heroïs* noſtri virtutibus, ut in regnatrice ſede, inter maximos acININglorioſiſſimos, quibus ſerviverat, REGES; inter *Majorum*, quibus celebratur, imagines: inter magnos virorum fortium cineres, atque multa illuminato Suecorum Cœlo ſydera, vivere deſineret, ut reciperet immortalitatem. Viveres *Magne* KÖNIGSMARCHI viveres, HEROS *Magnanime!* cujus hodie *Æternatura Gloria*, amorem & odium; affectum & invidiam ſupergreſſa, Te *ſalutare ſydus Sueciæ*, *Te incrementum Boni publici*, quærit REX, poſtulat Senatus, luget Miles, gemit Subditus, deſiderat Peregrinus. Nimirum, Tuæ virtutes, ac merita, tam infinita numero, & commodis maxima, ut nunquam oblivione, gratiam obductura ſit, vel multitudo omnium; vel utilitas ſingulorum: quorum, hæc ipſa, maxima noſtri Cauſa mœroris eſt, *Memoria*. Sed,

Non eſt gemendus, nec gravi urgendus luctu,
Virtute quiſquis abſtulit fatis iter.

Nondum omnium dierum *Nox* eſt; vixerit, KÖNIGSMARCHIUS, ille invictiſſimus *Regii Nominis* Imperator,

Votis noſtris, aut temporibus non ſatis; ſatis vixit, *Famæ, Cœlo, Gloriæ.* Quamquam quid ego dico, VIXIT? vivit adhuc, & verè in cineribus quoque ſuis viget KÖNIGSMARCHIUS, multo minus *abiit*, aut *obiit.* Vivit, vigetque incolumis, dum ex ſe, pretioſiſſima ſuæ ſtirpis decora; paternæ virtutis columina, CONRADUM CHRISTOPHORUM, & OTTHONEM WILHELMUM, utrumque KÖNIGSMARCHIUM, & veriſſimas virtutum *Königsmarchianarum* imagines, ſimiles ſibi, & aſpectu, & animo, reliquit: in quibus, poſt regiæ appellationis ſplendorem, poſt illuſtrem geſtorum ſuorum gloriam, mirabitur Orbis, JOHANNEM CHRISTOPHORUM KÖNIGSMARCHIUM, *Heroëm, Comitem, Ducem, Senatorem, Gubernatorem.* Sic vovemus. *Prodit enim ſuorum gloriam, quem piget imitari;* quamvis, ut verum fatear, ex virtutibus Heroïs noſtri, aſſequi nobis licet hoc unum tantum, quod eſt ſolertiæ; nam quæ ſunt naturæ, venerari omnes poſſumus; æmulari, non poſſumus. Sed jam perveniſti eo demum, Virorum fortium maxime KÖNIGSMARCHI, (amat enim tecum non tantum deſinere, ſed & ſepeliri, à quo incepit, laudatio) perveniſti *Magne Heros*, quo Tuus, te, jam pridem vivus ardor impulerat; ſortitus præmium laboris par, æqualem factis lauream; nec diſſimile virtutibus tuis *Amphitheatrum.* Expleviſti, verius, impleviſti, familiæ tuæ regium auſpicium ductum à nomine; atque effeciſti, ut in tanta bellicæ laudis Gloria, in Poſteris, etiam *Sapientia*, miſceretur, ut ſcilicet, Domui *Königsmarchianæ*, tam vere *Pallas* amica nunc eſſet, quam ſemper fuerat, cum *Marte, Bellona.* Utinam ita gemina Oratorem facundia, fuiſſes nactus, ſicut fortunata duo pignora reliquiſti. Hanc unam felicitatem tanto ſplendori, invidit *fortuna;* vel men-

mentium corruptrix ſuſtulit *invidia*, cum me elinguem, & indiſertum, ad enarranda geſtorum tuorum decora, adduxerit laudatorem; in quo nihil aliud eſt, quod placere poſſit, quamvis voluerit, præter *Affectus Tuorum*; ac æmulatio virtutum; quarum magnitudinem, utcunque pertexui. Tu, tamen rerum opulentiâ laudabilium, compenſabis, vel in NOCTE tua, quæ *Soles* vehit, ſterilem facundiam laudatoris; &, quam ego *Lucem* afferre non potui, commodabit POSTERORUM Tuorum, &, quotquot naſcentur ab illis, eximius ſplendor, in quorum Tu ſemper pectoribus vivere, nunquam mori, voluiſti. Pretioſius Poſteris non poteras relinquere *Pignus*, quam ea *Pignora*, quibus tua ipſa hodie GLORIA tradidit *ANNULUM aureum; ut arduam, eodem loco conſpirantis in uno *fortunæ* ac *potentiæ* ſtudio, fraternam colerent & amarent *Concordiam*. In cujus GEMMA, etiam inſculperet, niſi jam inſculpſiſſet, imaginem, verè Regiæ SAPIENTIÆ, VIRTUTIS, ac HONORUM.

* Allu[...] ad Ann[...] lum, que[...] non abſ[...] que rat[...] ne, in ip[...] agone t[...] didit, C[...] toni fili[...]


GNOMOGLYPHICA
Ex Gentilitijs Inſignibus Illmi.
Herois JOHAN. CHRIST. KÖNIGSMARCHI
deducta, atq Verſibus, et Aphoriſmis
Politicis illuſtrata
Auth: A.J.T.F.L.B.J.N.
Cerne KÖNIGSMARCHI cælato, INSIGNE, metallo
Cerne triumphantis fulgida ſigna Viri.
Materies ſuperarit OPUS. Vis singula? Cernes
Victorem in quavis parte latere Ducem.
Torquatus inv.
J. de Viſscher Sc.

HOC

Inſigne SIGNUM Inſignium

MAGNI

JOANNIS CHRISTOPHORI

KÖNIGSMARCHI,

Omnium virtutum cultu

Illuſtriſſimi Herois, Comitis, Ducis, Senatoris, Gubernatoris.

UT

Illuſtrem Gentilitii Sanguinis Splendorem, & omni Splendore
Majorum Gloriam majorem, ORBI, CŒLO, POSTERIS demonſtraret:

Poſt fata demùm

Regia SPECTANTIBUS propoſuit

VIRTUS.

ITA

Regium Virum, ubi inſignia Virtutum, Honorum, atque Gloriæ fulgent
INSIGNIA, Regium SIGNUM decet.

VETERES LABARUM APPELLARUNT,
NOS VEXILLUM.

QUOD

ILluſtriſſimi Herois Magnus GENIUS, ne aliqua, quæ tulit *Sanguis*, aut geſſit *Virtus*, vel accepit *Honos*, evaneſcerent, hoc SIGNO ſignavit: FORTUNA, *in altum tulit:* Æternitati conſecravit GLORIA. Nullum ingenioſius excogitatum ex Signis Orbis, aut Urbis; quàm quod hic Martis poſſedit pullus, Bellonæ prætulit Alumnus, Exercitus tenuit Campi-Mareſchalcus. In hoc, ſtravit Urbes, proſtravit hoſtes, ſuperavit Invidiam. Quà ductum, duxit fortis, Equos, Viros, Milites. Quà motum, movit invictus, arma, tela, pectora. In CAMPO, ſine colore, non ſine cruore, teſſera Pacis aut Pugnæ, nunquam Fugæ, ſemper Victoriæ, SIGNUM fuit. In LIBRO, non ſine arte & argumento, *Virtutum, Honorum*, atque *Gloriæ*, SIGNATUM, eſt. Ibi, ad ſpeciem ingenuo Ingenio magna ſunt, quæ fulgent, quæ apparent. Hic, in receſſu, majora cluſit GENIUS ingenuus. Illa ſpecta, hæc nota. Si curioſus ſies, PLUS ULTRA, vade, ſine *Vade*,


VIATOR.

GNOME PRIMA
Signi.



Aſpice Signiferum *Cœli adſpicientis Atlantem,*
Aſpice, qui fuſo Victor ab hoſte redit.
Aſpice terribiles erecto in vertice criſtas
Et Labarum; *ſub quo vincere, tuta ſalus.*
Niliacis valuit Ductor *præcedere ſiſtris,*
Quum velut Æacides agmina duxit ovans.
Dum KönigſmarchI tanta eſt fiducia Signi,
Proſtabit quanto tantus in ære Deus!

GNOME SECUNDA
Virginis.




Æc, quæ Virgo *ſedens paſſis diſcincta capillis*
Vultu blanda, oculis pæta, pudica genis:
Incubat armatæ dextrâ famulante phalangi
Fæmina Suecorum Pentheſilea *cluit.*
Arctoum validis hæc creſcere mœnia metis
Fecit; & Auguſtos in ſtatione Lares.
Dic Sueo jam, Cæſar, noſtris non ſufficit armis.
Dum Königſmarchi Virgo *miniſtrat opus.*

APHORISMUS II.

CÆſar, noſtris non ſufficit armis. Hanc *Pompei* apud Lucanum *Gloriam*, arma habuêre Gothica, quoties Cæſar vincitur, aut in Cæſare Roma. At, à Virgine *Königsmarchiana*, quæ Sueonum incubat Inſignibus & armis, vinci Romam Cæſaremque, gloria non fuit, ſed prodigium. Quæ, niſi fuiſſet Virgo, potuit ad tantam Aquilarum violentiam, ſi Cygni fuiſſent, violari. Fortis Virgo eſt, quæ difficilis. Inter pauciſſimas ſæculi, hoc iſta decus meruit, à multis tentari potuiſſe, non vinci. Ultra Philoſophiam inquirimus, imo ultra naturam jacimus inopinum quæſitum: An Virgini conveniat pugnare & repugnare? hoc eſt, amare pugnam, aut provocare? Scio Amazones pugnaſſe; non ſexum quæro, ſed in ſexu Virginem Planè non tanta gloria Virginitatis eſt, ut incontroverſa ſit. Facilitas, levitatem demonſtrat vitæ; nec exigua factio amantium, procantiumque, oſtendit naturâ aut vitio flexibilem. Verùm de aliis Virginibus hoc judicium eſto. *Königsmarchia* Virgo, quam non tàm Gentilitiis inſeruit inſignibus, quàm ſuo *Johannes Chriſtophorus Königsmarchius* imbuit inſtituto, Virgo ſemper manſit; quam toties pugnantem, repugnantemque, Procus invitus optavit, Hoſtis ſpontè timuit. Ad exemplum ſervata virtutis, ad armorum cuſtodiam educata, quoties pugnavit, pugnam repugnavit nunquam, etiam cum pugnare nollet Hoſtis, aut timeret Vicinus. Nihil Virginibus durius, quàm *Tempus*; hoc, lapis Lydius eſt virtutum. Sed in iſta Virgine, quam ſpectamus, ſeu ipſa ſpectat, ut ſpectetur, etiam difficillimæ Virtutis impetus non difficilis fuit; in aliis, mora quoque facillimæ, eſt ardua. Uſque hodiè Virgo hæc probatiſſimæ probitatis eſt, quia Virgo; non minus potens viribus ac fortitudine, quia *Königsmarchiana*. Virtutem tenere diu poteſt, cum aliæ non poſſint naturam. Multis temporibus cum Heroë ſuo tenuit propoſitum; at quibus? prorſus difficillimis; cum Romanarum Aquilarum rapacitas, per omnem ubique ſævitiam, in Conſcientias graſſaretur. Tenebit illam eadem voluntas maximè glorioſa, cum fortitudine ac virtute *Poſterorum*, cum quibus diuturna mala & ſæua ſæcula ſuperabit, non aliàs quàm Virgo. Hinc *flores* habet, hinc ex floribus *ſertum*, quod, non vana Quercus aut Myrti ornant folia, ſed *Roſæ*, florum Principes ac Reginæ. *Paſſa* capillis, quia nihil paſſa, intactum ab illecebris illibati pudoris probant animum & Corpus. Amabunt hanc, & ornabunt ſupra arma, *Poſteri*; & ſi floridam viderint, fragrabunt ad virtutem: ſi armatam, armabuntur pro COELO, ZELO, REGE, LEGE, PATRIA.

GNOME TERTIA
Equitis Cataphracti.



Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula MUNDUM,
Illicò ſulphureos ære tonante globos,
Adverſos quoties hoſtis ruit acer in hoſtes,
Et cataphractus Equo pretia miſcet Eques.
Non unus tanto Domitori ſufficit Orbis
Tranſcendit victam victor opimus humum.
Intrat FAMA Polos, dum tendit in ultima Mundi,
Nam victrix vinci & neſcia Fama mori.

APHORISMUS III.

TEndit in ultima Mundi. FAMA nempè *Johannis Chriſtophori Königſmarchii*, quæ nullam prorſus Memoriæ incurrit verecundiam, ſeu *Virtutem* videas, ſeu æſtimes *Honorem*, atque ab utroque ſurgentem, tranſcendentemque omnia, conſideres *Gloriam*. Norma militaris Virtutis, & decus bellicæ laudis, quibus cauſam præbuit Fides ac Pietas, fortem invictumque fecêre, atque ultra Gothorum quoque Orbem *Famæ* celebravêre præconia. Tantundem potentiæ Magnis Ducibus *Fama* eſt, quâ Urbem cepit *Cæſar*, hac Orbem domuit *Alexander*. Suis ipſe factis ad volucrem ferebatur *Famam Königſmarchius*: quippè omnibus fortiſſimi ac feliciſſimi Ducis dotibus cultus, admirationem ſui meruit, habuitque. Credo jam coloribus, & umbris, quas *Apelles* penicillo induxit. Melius non potuit quàm in EQUITIS & EQUI celeri curſu tanti Herois vivax exprimi animus; robur Corporis, magnitudo mentis, celeritas facti & conſilii, & quicquid

Nomen in æternum paucis mens ignea donat.

Hunc in Heroë PUGILEM, qui *tendit in ultima Mundi*, FAMA extendit, fecitque commendabilem, in Orbe, & extra Orbem; quia maximis Victoriis ſuperſtes fuit. Dicent *Heroëm*, loquentur *Pugilem*, celebrabunt *Fortem*, ſtatuæ ſpirantes, præconia tacita: imò Poſterorum memoriæ, viva monumenta. *Anaxagoras* multos ſomniavit Orbes; *Macedo* plures orbes in orbe uno quæſivit. Ille dormivit, iſte vigilavit. Illum opinio, ut Philoſophum; hunc ambitio, ut Regem, ſeduxit & agitavit. Non ſibi conſtat Cupiditas. Ambitio & opinio, ſimilia ſunt aviditate vitia, felicitate diſſimilia. Pernicioſius ſæpè quærit ſuperbus *famam*, quam non curat ignavus. Felix Cupido Famæ eſt, quam pauci improbant, pauciores ſunt, qui probant. Inter pauciſſimos, non tàm cupidus *Königſmarchius Famæ* fuit, quàm capax: quippè illa non poterat non ſequi Herois Gloriam; imo debuit ancillari, quia Gloriæ ancilla & pediſſequa. Quamquam, ſi memini, maximè in Magnatum officio, improba ac infida; ut hinc Nomen obtinuerit, cum ſit,

Fama, malum ingens, quo non velocius ullum.

Vitium illa ſuum, ſi quod habuit, liberaliter correxit; dum copiam ſui *Cornu*, abundantiùs poſt fata Herois noſtri effudit, ut *Königsmarchium* ultra fines Soli & Coeli attolleret; redderetque verum, *Poſt fata venit gloria.*

Aptiſſimus iſtius *Gloriæ* apparatus, præcedens modeſtiam, maximè famam merentis, meritò inculcatur POSTERIS, ut, quemadmodum Regio Nomine, ita Regiis Factis arrogantiam cæterorum Virtute ſupergreſſi, extenſâ famæ extra Orbem Gloriâ,

TENDANT ET IN ULTIMA MUNDI.

GNOME QUARTA
Leonis Crucigeri.



IPſe licet rutilis Bellator ſplendeat armis,
Armorumque gerat pondera cruda Leo:
Scilicet hoc nihil eſt, non belli Machina, fortes
At vincunt hoſtes ipſa Duella Viros.
Mulcendus LEO, mulcenti Patientia *præ ſit:*
Atque Crucis *durum fer patienter onus.*
Aſsidui Ductor; vult præmia Martis amari:
Cui Mars in pretio eſt, præmia Martis habet.

APHORISMUS IV.

V*Ult præmia Martis amari*, an LEO, an HOMO? Sanè, Vir fuit, quem Artifex in fera expreſſit; hic ſolus arma, ut voluit, portavit. Quamvis non credo Pictori, hanc armorum ſarcinam, gravem aut difficilem fuiſſe Viro Magno & Forti, ut ad eam pro ferro & armis laſſitudinem decurreret, quâ multi ſtultè animis procubuêre. Varius hic caſus, ut alea Martis. Multos voluptas ab armorum pondere diſpeſcuit, & fecit exermes; plures metus, timorque; quamplurimos auri potiùs fulgor hebetavit, quàm ferri delectavit rubigo. *Konigsmarchium* cauſa tuendæ fidei, & promovendæ gloriæ Cupido, in ferreos cruentoſque merſit labores, & immerſit: nec tantùm ſuſtinuit ferrum & arma, ſed ferri & armorum incommoda. Ambidextrâ enituit Virtute, per *Bona*, perque *Mala*. Illis potuit carere; his potiri. Periculo vitæ emit ſecuritatem ſuam, ſuorumque, non ſolùm promptus objicere corpus vulneri, ſed contentus, lætus, alacer. Unam perſeverantiam Virtutis deprecatus, pro quâ omnia levia, nulla difficilia duxit. Apertè tela hoſtium adverſo excepit pectore, non tergiverſans, non laſſus. Et, ut divinam ferret voluntatem, voluit inter mala vivere, mortaliorem ipſa morte vitam non malè laturus. Tulit, quicquid ferendum fuit; nec modò, quæ alii non ferrent, ſed quæ nec poſſe ferri putarentur. Tulit tamen ille, quia auſus ferre. Pleraque, non quia difficilia ſunt non audemus, ſed quia non audemus difficilia ſunt. *Heroi* noſtro nulla difficilia, quia omnia auſus; & ipſa rerum difficultas promptiorem reddidit ad ardua, ad dura. Pretium alienæ libertatis vitam ſuam putabat; & pretium divinæ voluntatis colebat *Patientiam*, ipſâ ſæpius difficiliorem non Cruce, ſed morte. Scilicet, ut hujus Gloriæ, quæ *vult præmia Martis amari*, ultimum decus adjiceret tolerantiæ ſplendor, ne fruſtrà *Genius Cruce Leonem* animaſſet, an armaſſet? Eximiam ſiquidem Virtutem decorat difficultas, & velut umbra corpori, adhæret probatura ipſos *Patientia*. Verùm quemadmodum opulentos theſauros, magicè ſervatos, ſolent infeſtare manes, umbræ, & ſpectra, timidos terrentia; nec iis potitur, niſi Magnanimus: Sic theſauro Virtutis ii potiuntur, qui inſtantes labores ac difficultates contemnunt, & magno ac patienti gaudent animo *Conſtantiam* ſequi. Fecit illud *Königsmarchius*, ferrum, ignem, aquam, aciem, omnia ſuſtinuit; duriſſima quæque & laborioſa, umbras & imagines laborum credidit.

Cur verò hic LEONEM potiùs, quàm hominem expreſſerit, oſtendit, non Artificis, ſed *Herois* prudentia; nimirum, ut *Poſteri* ſumerent vires ex SIMILITUDINE, fortitudinem de FIGURA.

GNOME QUINTA
Leonis Clavigeri.



GLiſcunt Cæſareos dum tela inimica per agros,
Non niſi Regali vincere ſueta manu:
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Queis ſine, ſub Martis fulmine, nullus ovat.
Imperii ſurgentis Honos ſi Nummule *deſis,*
Urbs infracta ruit viribus ipſa ſuis.
Urbis Clavis, *opes:* frangit, non vulnerat hoſtem,
Milite qui fracto vulnera plorat egens.

APHORISMUS V.

F*Rangit, non vulnerat Hoſtem*, expilatus loculus & pecunia. Militiæ nervus ſunt *Opes*, & *Pecuniæ*, quas ſervat potentia, CLAVIS; hanc, militaris prudentiæ toties eripit licentia, quoties in Urbes & ædes involat armata. Non enim gloria ſolùm, ſed ſpolium quoque, uſus eſt *Victoriæ*. Aufert, qui ultrò ſumit non ultrò data: accipit, qui ab alio ultrò data capit. Inter opima Martis ſpolia unicum momentum eſt CLAVIS, id eſt, *Potentia*. Cæteris Duces facilè abſtinent, aut relinquunt Militibus, contenti, ſi hac una potiantur. Qui *Clavim* habet theſauri, occupavit nervum, aut præcidit; imò, quod mirère, ipſum COR invaſit, ſine vulnere & cruore. Quippè, rectè ille; *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & Cor tuum.* Qui hoſti ſuſtulit opes & aurum, COR pervaſit, non latus. Nemo ſublatis opibus bella geſſit, his, victa quoque Majeſtas minari poteſt aut præliari. Abſque illis, *Vana eſt ſine viribus ira.* Non propria lucra ex victoriis ambiebat *Joannes Chriſtophorus Königsmarchius*, ſed aliarum Victoriarum pignora. Vincebat, ut vinceret. Inter multas Victorias, una *Pragenſis* auxit honorem & inſignia. Non exuviæ Leonis hic ſunt, ſed ipſe LEO, adjectus *Leoni*; Alter *Crucem*, alter *Clavim* habet: ibi arduæ virtutis *Symbolum*; hìc, *Figura* opum ac potentiæ. *Iſtum* genuit *Honor*, hunc *Labor* dedit. Primus ex *Suecia*, idcircò glorioſus. Secundus è *Bohemia*, propterea pretioſus. Regius uterque. Alterum virtute meruit *Königsmarchius*, non ſine gloria; Alterum labore ac vigilantia, non abſque pretio. Pro illo cuncta fecit *Königsmarchius*, pro iſto omnia dare voluit, ſive *Bucheimius*, ſive *Coloredus*. Non vile Leonis pretium, 18. millibus Imperialium thalerorum taxatum. Quis negat aureum fuiſſe? ſed *Königsmarchius*, quàm non avarus pecuniæ fuit, tàm ejus Virtus & Gloria minimè venalis. Aurum vocale eſt, ſed hìc facunda & fæcunda Virtus. Si Militem agere voluiſſet *Coloredus*, non Mercatorem, poterat & *Leonem* habuiſſe ſine nummis, & in *Clavi* (quam Leo Gotticus eripuit,) theſaurum, & nummos. Utrumque ille perdidit, poſſedit *Heros* noſter utrumque, quia Miles, & quia fortis. Tulit in ſpolium, *Leonem* & *Clavim*. Et quamquam Virtutis ſuæ incitamento, uti *Gladio* in præliis potuerit, voluit & *Clavi*; cujus nempè in Urbibus major uſus, quàm Campis eſt; niſi quod hanc etiam tranſtulit in *Campum*, ut fulgeret in SIGNIS, inſignis. Planè cum *Probo Auguſto*, & *Paulo Æmilio*, præclarè ſecum actum exiſtimans, quod ex ſumma Victoria, alii pecuniam, ipſe Regni Gloriam, ſibi Honorem in *Clavi*, & *Leone* paraſſet. Publicæ ſalutis ſtudioſus, undè iſta pararetur, obtinuit nervum, potentiæ ac dignitatis augmentum. Pudebit *Poſteritatem* ſuarum decrementi Virtutum, niſi cum *Leone*, de clavo, *Clavum* ſpectet; in clava, *Clavim*, per virtutem, non avaritiam, occupet. Fomes ad majora gerenda magna geſſiſſe eſt. Oeſtrum quoddam maximæ virtutis eſt, magna PARENTIS, *Iohannis Chriſtophori Königsmarchii*, VIRTVS.

X C GNO-

GNOME SEXTA

Serti, ſeu Coronæ.



IPſe Deûm vitam accipiet, Divoſque videbit.
Quo Sueonum titulus Parmenione viget.
Cum Deciis ſocio ſtat Königsmarchius *oſtro,*
Diviſum Imperium cum Jove victor habens.
Fulgida Threicii graditur per limina Martis,
Et ſtellas radians Phoſphorus inter agit.
Hæc ſola eſt Virtus Cœlo contenta teneri:
Sic repetit ſedem, quâ fuit orta, ſuam.

APHORISMUS VI.

COelo contenta teneri. Quondam *Honoris* & umbræ modum, folioſum arguebat ſertum. Fuere obindè fortaſsè *frondes*, veneranda olim certaminum præmia, & raræ gloriæ monumenta, *Laurus, quercus, hedera, palma, oleaſter.* Pridem ſcilicet dedicata amentiâ ambitionis, quamvis laborum magnæ Magiſtræ, ſterilium tamen, ſi illa duntaxat ſemen jecit, non fecit *Virtus.* Quid amentius, quàm maximorum laborum & vulnerum propoſuiſſe aut appetiiſſe mercedem, *Folia*, ludibria Spiritus vaniſſimi, crepundia venti? ea præſertim, quæ ſolum ad umbræ ſunt uſum, nec ad acceptas plagas vim habent medicandi? Pro his tamen, non labori, non vitæ venia fuit, ut obtinerentur inutilia conſequenti. Faciliùs ſuccidi poterant, faciliùs emi; accipi tamen totus labor, ſudor & furor erat. Cur tanti habetur, ſi alius det, quod poteſt ſumi, & quiſque ſibi dare, & aliis? Nil dico de cæteris. Oleaſtri folia jucunda ſunt capris, acerba homini; nulla tamen pro illis Capra, alterius licet eſcæ inops, præcipitem ſe ageret, aut egit. Quæ inſania hominum, pro re injucunda, & ſine uſu, angi? & perire votis, arcanis quaſi parricidiis? Hic fructus avaræ *Gloriæ*, ſi folia ſine fructu rapiat, quæ rapit *Ventus.* Hujus deformis vanitatis æmulus aut Collega, *Johannes Chriſtophorus Königsmarchius* non fuit. Seu pugnabat, ſeu vincebat, in agone Belli & Pacis, Vitæ ac Mortis, non inflabatur vento, ſed ſuo ſpiritu ducebatur. Vices ſpirantis animæ, *Virtus* implevit; quâ in cæteras quoque virtutes venire potuit, ut iret in honorem, in gloriam. Iſtud, non *Folia*, ſed *Flores* oſtendunt; ex his ſolum plectere potuit ſertum Honoris, ut Gloriæ quoque necteret Corollam, aut Coronam. Non ſimplices illos quidem & promiſcuos, aut etiam viles, quia non popularis Herois noſtri Virtus, ſed Principes Florum, *Roſas:* non ad umbræ, ſed ſanitatis uſum elegit. Ab errore, aut morbo, qui ſitientes laudis vexat, turgentes urget, inflatos cruciat, ſecurus fuit ſub medico flore animus Herois. Nam, quam illi in terris, vel *ſaucii* quærebant laudem, adeptamque tranſcribebant Sibyllæ foliis & umbris, hanc, etiam *Victor* & *Incolumis*, compoſitis in modeſtiam non vanitatem votis, à *Cœlo* potiùs expectavit, cum tranſiit in COELUM. Fatebuntur Veteres, cœleſte hoc inventum, vanitati ſuorum in mentem nunquam veniſſe, minus in uſum: atque mirabuntur ſubmitti ad *terram uſque & pulverem*, modeſtiam Herois; humiliationem eſſe machinam exaltationis, animum attollendi ad honorem & gloriam, indè, appellandi in Cœlum; quo ſolo *contenta, velint* ſemper *teneri.* Satis habet *Poſteritas*, dum ſpectat *Coronam*, & ſpectatur à Cœlo, *Certantis, Vincentis, ac Triumphantis*, meminiſſe; ſi pugnandum illi ſit, *exemplo* poſſe. Rara in mundo Victoria bona eſt, quæ proſit verè. Illudimur, non Circulatore alio, quàm iſto inſufficientiæ Circulo, quem inutiles ambiunt frondes, habent caduca folia. *Flores* ſint, ſed *Roſæ*, indè etiam victis virtus ſumitur medica. His effloreſcat ad honoris pretium, non in umbram frondeſcat, VIRTUS, haud popularis Gloriæ, POSTERORUM.

GNOME SEPTIMA
Nominis.



NOn una eſt perſona foro, non vivimus unâ,
Nec morimur parili conditione Mares.
Hic calamo, ferit ille manu, ſic ſorte rotamur,
Sic obeunt partes mucro manuſque ſuas.
Bellica gentilis quam firmant ſigna Gradivi,
Quemque arcus, thorax, & catapulta juvant:
Hic nova dat *nunquam perituris* Nomina Faſtis,
Nomina cui Faſti ſplendidiora dabunt.

APHORISMUS VII.

DAt nova Nomina faſtis. An jam dedit? Hæc Nobilitatis gloria, imitatio Virtutis antiquæ, æmula memoria optimorum Avorum, nec tàm majorum colere imagines, quàm facta: quippè, clarum eſſe Virtutibus, major nobilitas eſt, quæ mentem, non ſanguinem honeſtat; nec conditionem fortunæ inſpicit, ſed animum. Major regio nomine, ſed & felicior, *Johannis Chriſtophori Königsmarchij* Virtus fuit, qui regia facta ſecutus, regiæ ſpei auſpiciis orſus laborem Militarem, & negotia Martis, velut victoriarum conſequentium omen, in Nomine ſuo, Majorumque ſuorum factis, Nomen cum omine in faſtis retinuit. Aliorum Regum Nomina, vis & potentia præſumpſit potiùs, quàm meruit *Virtus*. *Poliorceta* ab expugnatis Urbibus, agnominatus eſt *Demetrius* Antigoni filius. *Ceraunicus*, à fulmine, *Ptolomæus*. *Nicanor*, à vincendo. *Aquila*, Pyrrhus. *Accipitres*, alii. Omnibus præfert Plutarchus *Ariſtidis* cognomentum, qui *juſtus* à virtute ſua eſt appellatus. Nulla dignitatis appendice introducitur hic *Johannes Chriſtophorus Königsmarchius*, non *Comes*, non *Campi Marcſchallus*, non *Regni Senator*, non *Gubernator*, ſuo *Nomine* tantùm, ut *Hannibal* clarus. De quo retulit Claudianus,

> ---- ---- *proque omnibus armis*
> *Et Caſtrorum opibus, dextrisque recentibus: Unum*
> *Hannibalis ſat Nomen erat.*

Sic ipſe ſibi ſufficit *Königsmarkius*, & SATIS eſt. Regium titulum & Majorum ſanguis dedit, & propriæ virtutis magnitudo ex Regiis factis fecit. Regia Regii Herois nomendatura eſt *Konigsmarck*, quaſi è *Marchia Regia*, vel regia medulla, REX ortus. Idoneum magno Bellatori Nomen; ſicut & *Darius*, à coërcendo; *Xerxes*, à bellando, Nomina accepêre. *Königsmarchius* à regendo. Ut ſine livore ac invidia, fortiſſimus, ſtrenuiſſimus, ac prudentiſſimus eſſet, plus habuit ex regiis factis, quàm multi Reges, de regia ſtirpe. Tot ornamenta, ac emolumenta regia, fiducia fortitudinis dedit; & quaſi REX, cum Regnum Rege caruiſſet, rexit Exercitum. Regii diligentia Ducis, præcipiebat *pugnas*, præoccupabat *Victorias*. Priuſquam ſentiretur hoſtis, victor audiebat. Felix belli nutrix vigilantia, & vadimonium felicitatis bellicæ, regia induſtria eſt. Adjecit *Königsmarchius* virtutibus regiis cum fructu conſilia, ut in regia quoque ſtirpe, *nova daret Nomina faſtis*, factis. Fœcunda cenſetur *Phœnix*, unicam ſui ſimilitudinem, in favillis & cineribus relinquens. Multiplicem reliquit *Königsmarchius*, in CONRADO CHRISTOPHORO, & OTTONE WILHELMO, illuſtriſſimis *Pignoribus*: ut non *fœcundus* tantùm regiis virtutibus haberetur in vita, ſed poſt vitam etiam ſanguine regio *illuſtris*. Hinc REGIUM NOMEN *ab æterna Poſteritate feret.*

GNOME OCTAVA
Pyramidum.



HEſperidum benè poma Draco pendentia ſerva,
Aureaque inſomnis vellera cinge Draco.
Cinge Leo unanimes ſepteni fœderis Urbes,
Et Batavum Caudæ verbere tange ſalum.
Plus laudis tibi ſume Leo, qui marmora Cœlo
Hæc ſervas Cuſtos æmula Pyramidum.
Gloria, *fixus* Honos, & Königsmarchia Virtus,
Corpora Pyramidum non peritura trium.

APHORISMUS VIII.

S*Olidæ Cuſtode, durabunt.* Celebrata Ægypti miracula *Pyramides* fuêre; quas celebrare majus fuit miraculum. Vana operum molimina placere *Joanni Chriſtophoro Königsmarchio* haud potuêre, quia ipſe Virtutis ſuæ atque Gloriæ fuit magnum ac ſufficiens prodigium. Inter Ceras & imagines, voluit tamen ſplendeſcere *Pyramides*, ſed novo commento, an documento? In latus flectere moles lapideas potuiſſe; ne ſtarent erectæ, ſed jacerent oppoſitæ. Credo, magnum ingenio ac fortitudine Heroëm, in hac inclinatione modeſtiam ſpectaviſſe, quæ maximè fortes deceat, ac bellatores; quorum ſolida virtutis cuſtodia & baſis, ſi *feriendus Carthaginenſis*, eſt latus opponere & pectus, atque ab acuto quærere acumine *Victoriæ* Cacumen. Ex præſcripto *Solonis*, poſt fata demum Herois, ut elevaret gloriam, abrogavit modeſtiam Artifex, & præfixa *Leonis* cuſtodia, ſtare juſſit Pyramides; ſcilicet, ad Poſterorum *memoriam.* Verùm in immortalibus Columnis, & æternis monumentis, pectorum ſcilicet, non Pictorum, & ingeniorum, non Artificum, meliùs ſitus, ſepultuſque vivit *Königsmarchius.* Siquidem ex *Thucydidis* ſententia, *Honorificentiſſimam ſepulturam ſunt adepti, qui, non eam potius, in quâ ipſi ſiti ſunt, quàm eam, in quâ ipſorum gloriam, in qualibet rerum vel dicendarum vel agendarum occaſione, perpetuò celebrandam reliquêre.* Certè Illuſtrium Virorum omnis tellus ſepulchrum eſt, neque ſola Cipporum & Columnarum, in agro domeſtico erectarum, Inſcriptio, virtutem eorum teſtatur; ſed etiam in alieno ſolo, ac ſolio, illorum totiès viget memoria, quotiès linguis & ingeniis celebrantur. Adhuc contemplationem noſtram altiùs elevat præſentis Emblematis figura; in quâ majus eſt miraculum, quàm habuit Ægyptus; cujus Pyramides tetigêre fortè nubes, ſed non erant ſupra nubes. Novum hoc inventum Artificis foret, niſi iſtud jam pridem curioſum Batavorum exhauſiſſet ingenium, quod non unam columnam, aut pyramidem, ſed integras ſæpè domos, ac ædificia luxata, laxataque, elevare, atque inter cœlum & terram ſuſpendere potuit. Sed hic, nubibus uſus pro inſtrumentis, exceſſit artem & Architectos: ut non fortunatam duntaxat, verùm etiam prodigioſam Herois noſtri oſtenderet felicitatem, quoties ad ejus ſæpè vota, nutus, expeditiones, & audaciam, Cœlum & elementa concurriſſent. Hoc pacto transferri in Cœlum uſque *Königsmarchii* memoria poteſt, non deleri. Reliquæ, quas terra colit habetque duæ, tantò ſolidiores VIRTUTE durabunt, quantò proximior tertia COELO eſt.

GNOME NONA
Æternitatis & Exempli.



EXemplis *ſerpit probitas; in imagine vultus.*
Dum datur emeritos cernere poſſe Patrum.
Picta ſuos facies exornat amica penates,
Quæ nullo Martis fulmine fracta micat.
Geſta Ducis ſi picta addas, perfecta tabella;
Et Patris *exemplum belligerantis erit.*
Æternum venerare Nepos. Tibi pingitur Author:
Ut videat ſimiles diſſimileſve ſibi.

APHORISMUS IX.

AD *Exemplum, & Æternitatem.* Qui imagines ſuas tempori ac æternitati deſtinavit, *Pictor* fuit: qui facta, *Heros* erit. Majus ex Marte, quàm arte pretium; quia major ex cruore venit, quàm colore, gloria. Æmulatio Virtutum, gloriam tuetur Sanguinis; ſanguis æternitatem capit ex memoria Poſterorum. Æternus ille & immortalis, quem ad æternitatem duxit *Virtus, Honor, Gloria.* Præſignem Characterem dixit *Euripides*, nobili ſtirpe naſci; dum tamen gloriam naſcendi nutriat vivendi decor, & velut reciprocante fluctu, recurrat in progenitores; ne tantùm ab iis gloria recipiatur, ſed iiſdem reddatur. Siquidem degener animus, glorioſo ſanguini adverſus, non modo turpis eſt Nobilitati, ſed monſtroſus. Inſignit Natura Nobiles, & Virtuti deſtinat, &, quam iis dare nequit, optat Virtutem; cujus obligatione illos ex Privilegio onerat. Quod ſi injurii ipſi ſint privilegiariæ ſuæ gloriæ, eò turpiùs dehoneſtantur vitiis, quò glorioſiùs eos decoravit Natura expectatæ titulo Virtutis. Spem ſui ſanguinis vicit *Iohannes Chriſtophorus Königsmarkius.*

Hoc primum eſt decus, hæc ſuperba Virtus,
Spe præcedere, quos honore jungas.

Quid majus quæritur, quàm Heroëm noſtrum ibi inveniſſe laudum teſtimonia, ubi prædicatio non poteſt eſſe ſuſpecta? Certè, honeſtavit Virtute Majorum titulos, & exemplis præceſſit longè, quos habuit pro Exemplo. In exemplis ſequendis, priùs facta, deindè facientes æſtimare oportet. Subſtantia facti, ante circumſtantiam perſonæ habenda eſt. Bona ubique diſcenda, mala dediſcenda. Malorum Præceptores, quamvis non mali, quamvis non pauci, refellendi ſunt. Omnium peſſimorum diſcipulus noluit *Königsmarchius* fieri, nec vel unius peſſimus Magiſter. Ad benefaciendum & gerendum, primas affectavit, & tulit. Prior ad magna, ad ardua, ad optima quæque erat, & fuit. Ratus, hoc generoſi animi maximum ornamentum, non indignum eſſe Majoribus, nec tâm gloriari, illuſtres habuiſſe Avos, quàm curare, ne obſcurus ipſe ſit Nepos; ut naſcendi claritudinem ſuâ vitâ atque morte exæquaret, & nobilitas mortis, reſponderet Nobilitati ortus. Niſi *Königsmarchium* propria commendaſſet Virtus, fruſtrà eſſe potuit nobilitas, quæ non cogit ad virtutem, ſed influit. Unus ille fuit, qui Nobilitati privilegium adjecit, & Poſteros juſſit *audere majora.* Magna hæc gloria, quia æterna, ſupra exempla dediſſe exemplum. Si contemplemur veteres Heroas, aut ſteriles illos inveniemus, aut nullos reperiemus filios illis ſimiles. *Achilles*, nullum Hæredem fortitudinis habuit, imitatorem habuit *Alexandrum.* Nec *Alexander* Poſteris ſuis magnanimitatem reliquit, præſumpſit illam *Cæſar.* Gloriam ſuam Cæſar non potuit in filios teſtamento transferre, potuit æmulationi exponere. Solus omnes ſuperavit *Königsmarchius.* Heros ille non tantùm fuit, ſed quod miremur, Heroum Pater; ſcilicet CONRADI CHRISTOPHORI, &, OTTONIS WILHELMI, quorum alter ſago, alter toga illuſtris; uterque, ut in ſemen naturæ, ita in ideam adolevit Virtutis. Hoc fortaſsè deerat Heroi noſtro ad felicitatem, ne Phœnici ſimillimus eſſet, cum hæc ipſa maxima ſit felicitas, ſimiles ſui plures reliquiſſe. Laudabuntur Poſteri, nobiliſſimi generis elogio, ſi ad *Exemplum* & *Æternitatem* aſpiraverint, quorum cupido, virtus ingenuorum eſt, quæ generoſo ſanguine nata, illas colet virtutes, ad quas obſtrinxère natales. Sic prima gloria erit imitatio originis. Optimos faciet FILIOS Boni ſimilitudo PARENTIS.

GNOME DECIMA
Livoris.



S*Æviat oppoſito ſibi turbine dirus Orion,*
Aut procyon vultus induat uſque novos.
Succedant Troës Rutulis; nihil officit. Heros
Invidiæ contra muniit arma latus.
FAMA Königsmarchî, *tanquã* ROSA, *ſpargit odores.*
Livori hæc ſpinas porrigit, illa minas.
Non ſpirat tibi livor, abi. *Rex Marchio ſupra*
Invidiam. *Invideas Invide tute Tibi.*

APHORISMUS X.

ABi Livor, non tibi ſpirat; Animi Flos, id eſt, Virtus, ſolùm conſpicua geſtis. Res mira! inter tot armorum ſplendida inſignia, hìc Artificem non *Leones*, non *Virum*, non *Equum*, non *Ferrum*, & *Arma*, ſed FLORES oppoſuiſſe *Livori!* Inter omnia, CRUX meliùs potuit ſubſtitui, quæ, ſi una non ſufficit, debuit ſine privilegio duplicari. Duplicato ſiquidem onere gemunt, premuntur, rumpunturque *Invidi.* Juxta id, quod *Hippias* dixit, *Invidi duplo magis, quàm cæteri calamitoſi ſunt.* Gemina Invidos infeſtat calamitas, quos & bonis alienis, & malis propriis excruciat. Hoc, Authoris factum, Herois autem inventum fuit; ut procul à naribus *Invidiæ* arceret *Flores*, & arcerentur. *Flores*, non ſimplices illos quidem, ſed Principes Florum, id eſt, *Roſas*, quæ ſpinis armantur, quas Vir Regius *Iohannes Chriſtophorus Königsmarchius*, non abſque ratione inter arma gentilitia, atque cætera fortitudinis ac inſigniorum ornamenta aſſumpſit; ſcilicet, ut, pungente *Livore*, pungat, nec niſi punctus, compungatur. Difficilis hûc acceſſus Invidiæ, propter ſpinas; ipſæ Roſæ, ſpinis duriores, viſum amant, non naſum, dum videri tantùm volunt, non odorari. *Heros* noſter mitioris, quàm *Roſa*, naturæ, non ſpirabat duntaxat, ſed & ſupervivebat *Livori*, paſſus fieri Orbis & meta Invidentium. Cujus candoris purpuraſcentis, ac candidæ purpuræ idea, haud potuit pulchriùs, quàm in *Roſis* demonſtrari. *Candor* citra aculeum, ſupra Virtutis gloriam, addidit innocentiam morum; cùm magnorum ſæpè virorum legamus vitas, non paucioribus attaminatas vitiis, quàm maximis virtutibus mirandas. Dum *Königsmarchii* geſta, vitamque narramus, omnia miramur: nec enim in ſingulis, ut geſſit, ut vixit, fuit inglorius. Unam tantæ gloriæ aſpergere voluit notam *Invidia*, cum diceret, fuiſſe *tenacem.* Verùm ipſa magis avara fuit, quia plura mentiri non voluit, an, quia non potuit? Haud in hoc uno excuſabilis, cujus tota malitiæ illius conditio eſt, fallere, & falli. Placuiſſet *Königsmarchius* Invidiæ, ſi voto *Midæ*, in aurum potuiſſet mutari, diffidens, non aliter poſſe omnibus placere, niſi totus aureus eſſet. Si fieri poteſt, non accuſabimus, ſed excuſabimus invidiam, quæ fortaſsè hìc tantùm prætextum avaritiæ taxare voluit, non Heroem; cui parere debuit, non potuit imperare Heros. Poſſeſſio opum, nullam ſentit naturæ voluptatem; ipſam potiùs premit naturam, curis, ſollicitudinibus, timoribus, atque periculis. *Avaritia* autem, quid aliud, quàm rapinam denotat; quâ notari juſtè non potuit *Königsmarchius*: ſiquidem jus colit avaritia cupiditatis, in omne nefas fertiliſſimæ, quod nunquam in Heroe noſtro obſervavit Invidia. Et, ſi juxta Sophiſtam, *Matrix multorum ſcelerum*, & *Metropolis omnis malitiæ eſt avaritia*, tunc furta, homicidia, mendacia, fraudes, & rapinæ, ſunt Coloniæ avaritiæ; id eſt, optatæ opulentiæ; ſicut & poſſeſſæ, fructus erunt aut finis, laſcivia, luxus, oſtentatio, ſuperbia, commeſſationes, & alia, à quibus omnibus, Regium Herois noſtri abhorruiſſe animum, jam ipſa fatetur Invidia. Sed eſto, avarus fuit, quia nihil temerè, nihil indignè profudit; hoc titulo ſui quoque prodiga triumphet malevolentia. Si verum ſentio, non fallo ſpectatorem, dico etiam, non obſtare ad humanam gloriam vitia aliqua, ubi magna Virtus excellit; cujus tantus nonnunquam decor eſt, ut per ipſa erumpat vitia, non aliter, quàm per nubila fulgur. Ita *Davidis* glorioſiſſima vita, & ſimul memoria; tametſi adulter aliquando, homicida, præceps, ſuperbus. Prona conceditur iis vitiis venia, quæ ſe ſinunt excedi ac perimi Virtutibus: nec malignitas putatur, quæ majorem probitatem tolerat; nam facilè diſſimulantur culpæ, quas merita ſuperant. *Innocentia*, rara & ardua eſt mortalibus, inter quos velut pactum eſt, ut gloriæ locus detur, ſatis eſſe laudi excellentiam Virtutis, etiam cum ſocietate vitii, ſi humilioris. Poſterorum laudibus, nulla diſpenſatione, nulla indulgentia opus erit, quas integro exigunt jure, quorum probata *Liberalitas*, tàm defæcata ac pura, ut nulla eorum Livor ſciat vitia, multas admiretur Virtutes. Gemina ſydera, CONRADUS CHRISTOPHORUS, & OTTO WILHELMUS, gemino quoque honore digna, & quia notari non poſſunt de VITIO, & quia Liberales ſunt, à VIRTUTE.

GNOME UNDECIMA
Exuviarum.



ECce triumphalem laſſo ſub Principe quercum,
  Ecce Königsmarchî parta trophæa Ducis.
Illius arma vides, in queîs ſudavit & alſit,
  Et potuit Miles, Duxque, placere ſuis.
Exemplum cape Poſteritas: & prorſus Achillis
  Arctoi exuvias indue Nate datas.
Arripe; dum medio poſuit DEUS omnia Campo,
  Quóque Tibi tantum debeat Arctos, age.

APHORISMUS XI.

MEdio poſuit DEUS omnia Campo. In quo videre licet ac mirari, non dearmati *Martis* exuvias, ſed armati *Hominis* triumphos, & non uno in trunco, glorioſum *Königsmarchiorum* armorum monumentum. *Medio poſuit* DEUS *omnia Campo;* Bellum, in armis; in quereis, Pacem: in utroque pugnas, victorias, Triumphum; in ſingulis *Johannem Chriſtophorum Königsmarchium.* Spectaculum hic *Campus* habet divinæ Providentiæ, quia pulcherrima *Königsmarchianæ* fortitudinis ac Pacis decora, non *Campum* tantùm faciunt, ſed & theatrum. Regius animi affectus, quemadmodum omnium armorum gloria, ita emolumento Pacis, debuit decorari. Nam belli finis, Pax; huic pugnæ junguntur, illi ſerviunt obſequio & uſu. In *Campo* hoc, quicquid egit, quicquid non egit, hic armorum VIR atque Virtutum, cum *Bello*, aut non ſine *Pace* fuit. Et quidem egit maxima, quæ Belli; optima, quæ Pacis ſunt; alia latent, hæc, ſuſpenſis armorum exuviis produntur. Non poterat non pacificus eſſe, qui potuit tàm multipliciter armari. Tranquillitatis decor honeſtat militantes; ſcilicet, honorem authoris gloria artificis parturit. Suos enim Architectos felicitas *Pacis* commendat; quos tanti *Alexander* faciebat *Severus*, ut dictitaret, ſe milites magis ſervare velle, quàm ſeipſum: nam in his SALUS *publica* eſt. Quid felicius publica pace? cujus officina, bellum eſt; ars, militia; Faber, Satelles? Quid utilius felicitatis Miniſtro? imò quid illo glorioſius? qui ſudore ſuo, & cruore, omnium alit quietem? Auſpicia *Königsmarchii* à periculis fuère; qui per diſcrimina propria nactus eſt ſecuritatem *Patriæ*, & ſibi hanc laudem, ut fortitudinis ſuæ robore, Pacem publicam redimeret. Laudem hanc & gloriam Heroi noſtro *Regia* conciliavit *Bohemiæ*, quæ una, audax factum expiavit temeritatis probro; &, ut auxit Nominis gloriam, ita Orbi Germano-Romano Pacis ſtudia procuravit. Sine Pace, minor fortitudo fuiſſet, *nimium audere*; cum Pace, ſumma; quantumque detrahit fortitudini temeritas, tantum addit gratia Pacis. Addidit armorum exuviis, adhuc Anchoram, & non abſque lepóre affinxit leporem in Sylvis, *Pictoris* prudentia. Nimirum, actionum humanarum, maximè Militarium, cardines, ſunt *Spes*, & *Timor.* Nam quemadmodum ſigillaria occulto morantur artificio, ſic homines bellatores, arcanis metus aut expectationis verſantur impulſibus. Seros ſentit mœrores expectatio: præcoces creat timor triſtitias; angimur futuris, nec volumus reſervari ludibrio. Multa nos torquent, quædam plus quàm debent; alia, quæ non debent; alia, cum non debent. Fruſtrata cruciat animum *Spes*, fruſtrandus excruciat *metus.* Magna eſt inter ſpem & diſcrimen affinitas, proximiora ſunt pericula ſperantibus, quàm timentibus: acutiorem tamen eorum ſenſum habent timentes, minus experimentum; nam citiùs accedit periculum non cogitantibus. Fortiſſimus *Heros* noſter plus non debuit timori, quàm ut timeret, ne timeretur. Timorem neceſſarium duxit, ne excideret ex Virtute, in quà *omnia auſus.* De Spe quid dicam? Sola hæc quæ in Deum fuit, fortiſſimè armavit *Satellitem Patriæ.* De Creatore propè deſperat, qui ſpem in Creatis locat; quare qui ſpem in DEO figit, de ſe oportet, diffidat. Genus enim perfidiæ eſt, ſibi fidere. Cum incomparabilis *Herois* noſtri fortitudo fuerit, miror magis ejus ſpem, quam audaciam. Et, ut ſic me explicem, miror magis ſperaſſe vincere, quàm viciſſe. Sed diffidentià ſui fidentiſſimus, omnem in Deum fiduciam jecit; ut jam non fortiſſimum, ſed omnipotentem miremur! ſiquidem ii, qui in DEO ſperant, uſufructuarii ſunt infinitæ potentiæ. Ideò gloriatur Apoſtolus, ſe *omnia poſſe.* Ultra naturam, ultra humanas Vires, imò cogitata, expectavit; vicit ſpes *Herois* aliorum vota. O miram fidem! ô magnanimam ſpem *Herois*, cujus tranſcendunt regia opera, humana deſideria: qui factis ſuis ſperavit, ac ſuperavit cogitationes omnium. Diſcat *Poſteritas*, in Pace, Bello, Prælio, & quæ *medio poſuit* DEUS *omnia Campo*, etiam inter deſperantes ſperare, non præſumere. *Religio* deſperationi obſiſtit, *modeſtia* præſumptioni. Magnam fortitudinem facit magna devotio; magnanimitatem auget modeſtia, audaciam diffidentia ſui acuit; prudentiam afflat inſtinctus divinus, & totius belli negotium pietatis prævium concludit otium. Dignus in CONRADO CHRISTOPHORO, & OTTONE WILHELMO, *Königsmarchii* ſanguis, qui jam non humanis virtutibus tantùm, ſed etiam divinis agatur; non magnitudine humani animi motus, ſed divini ſpiritus afflatu impulſus, in CAMPO, FORO, REGIA.

GNOME DUODECIMA

Pugnæ, Pontis, ac Fluvii.




SErta ferat tùm Ponte Cocles, tùm Mutius igne,
Et decoret meritum Laurus odora caput.
Tranſiliat Pontem turmis, Virtutibus Orbem,
Et Königsmarchl *ſit* Praga *capta manu.*
Vita brevis tamen uſque fluit, refluentis ad inſtar,
Effugiuntque ævo deficiente dies. (tur.
Mors *ſibi cuncta rapit*, rapimur quo cuncta ferun-
Hinc omnis vitæ clauſula, VIXIT, *erit.*

APHORISMUS XII.

OMnes morimur, & tanquam aquæ dilabimur ſuper terram, quamquam *Mulieris,* non muliebris tamen levitatis, ſed virilis prudentiæ, maxima vox fuit. Conſilium ſecutus Artifex, & ut normam opificii ſui, ita legem inſcriptionis, aut *hinc* accepit, aut ad illam compoſuit. Rectè humanæ vitæ conditio *Pugnæ* & *Flumini* comparatur. Quemadmodum *fluvius* hic imago mortis eſt, ita ſuper pontem *pugna,* ſpeculum vitæ eſt. Nec fallit, nec fallitur inventum. Planè, *militia eſt vita hominis ſuper terram,* & cum ipſo flumine - *Rapimur, quo cuncta feruntur, Victores* & *Victi.* Repræſentatur in VICTORIBUS felicitas, cum ſit miſeria, ad quam, inſtar fluentium, exundantiumque aquarum, ad multas defluimus miſerias. Periclitantur hìc, in VICTIS, mortales, cauſa periculi, dum fortunam per infortunia quærunt, ut magna fortuna majori infortunio viam ſternat. Nec quidquam felicitatis erit in mortali hac vita, cum ut *fluvius* fugiat, ut bellum tranſeat, ac præcipitetur à mortalibus. Opportunè cum ponte vetuſto, non ſtans, aut ſtagnans, ſed ſeſe movens, currens, decurrenſque, atque agilis & agitata exhibetur aqua; ut cum violatis ac ruituris lapidibus Pontis, diſcamus, etiam firmiſſima in rebus humanis lapſura. *Fluida ſunt omnia.* Fluunt equidem ſummæ fortunæ, maxima imperia, tametſi res ſtabiles & firmas credimus. Tranſacta æquantur omnia: perindè magna non ſunt, poſtquam fuêre, ac quæ parva extitêre. Ubi nihil omnia ſunt, inæqualia non ſunt, eadem ſunt. MORS omnem æquat fortunam, idcircò diverſiſſimarum rerum exitus, idem fuit; & multiplicis fortunæ unum cadaver, eſt cinis & favilla. Poſt *pugnas, coronas, victorias;* poſt *arma, ſigna, triumphos,* in ipſa MORTIS *memoria,* peritus hic *Artifex* perſuaſit, varietates ſortis non inſtabilitatem, ſed periodum eſſe, quam *Magnus* animo viribuſque ſubire debuit *Johannes Chriſtophorus Königsmarchius.* Et ſanè, ſi naſci pœna eſt; labor, vita; neceſſitas, mori; oportebat Maximum *virtute, honore, gloriaque Heroem,* poſtquam abundè virtuti, honori, gloriæque vixiſſet, tandem, cum ipſa MORTE componi: ne cum *Menandro,* tæderet aliquando, aut pœniteret, HOMINEM fuiſſe. Jam olim, & quidem ante commentum *Artificis,* non abſque documento, frequens *Königsmarchium* mortis memoria tenuit, & credo, ſine humanæ felicitatis guſtu, quæ parum ſuavis eſt cogitantibus, aut ipſam caducam eſſe, aut ſe mortales. Gaudia fortunæ ipſa infortunat, dum agnoſcitur fallax & peritura, ſive mutabilitate ſua, ſive mortalitate noſtra. Utriuſque memor *Heros* noſter, cogitare cœpit, priuſquam mori poſſet, *quid eſſet futurum poſthac;* ſcilicet poſt fata ſua, imò poſt felicitates ſuas. Se moriturum ſemper credebat, & felicitatem inconſtantem, non minùs quàm ſe mortalem; etiam cum mori poſſet, in bellis, pugnis, præliis, hoc eſt, ante mortem ſuam. Cum ægrotaret, *in ſtrato ſuo,* velut in limine Æternitatis,

nitatis, altiùs ſpeculabatur animus; propterea rerum humanarum ſollicitudo anxium non habuit, quia ſe *hominem* eſſe, mox nihil futurum, didicit. Felix & impavidus fuit uſque ad mortem, ſive meditatione continua *Mortis*, ſive ſollicito ſtudio *Virtutis*. Æquè felix ante *Mortem*. Terrena felicitas, cœleſtis Providentiæ eſt gratia, & quia feliciſſimum hujus mundi exitum nactus eſt, fauſtum æternitatis aditum incurrit. Invertitur felicitas temporalis Vitæ ſubeuntibus æternam. Quos æternis gaudiis felicitaturus eſt DEUS, temporalibus manifeſtat indiciis; neque enim diſſimulat in hac vita culpas, quas punire non vult in æterna. Ut fortiſſimus, ita pientiſſimus Heros, temporaliter quoq; beatus, ad æternam adornabatur *Salutem*: cujus argumentum ſalutis, præclara fiducia, & confeſſio fuit. Quod mortuus ſit, humanæ iſtud fragilitatis Argumentum fuit: quod ita mortuus, divinæ prærogativa felicitatis eſt. Ter felix! cui & *vivere* felicitas fuit, & *mori* ſalus, & *gloria* æternitas. FAMA *Sepulchri*, repræſentabit POSTERIS ardorem ac pietatem *Herois*, poſthumo etiam præconio dignam: ut ejus *memoria* ſpeculum virtutis ſit; *laus*, incitamentum gloriæ. Liberorum vitam optant Genitores, rati mortalitatem ſucceſſione emendari; nec morituri aliud magis appetunt, quàm æternitatem in hæredibus affectandam. COETEROS monebit hæc *Magni Nominis Umbra*, humanæ mortalitatis, ac ſortis mortalis; Fortes æquè ut ignavos; miſeros ac fortunatos, ut *homines mori poſſe*. Hoc unum eſt, quod maximè terret felices, poſſe non felices eſſe; poſſe ab illa fugere, quam ſequuntur fortunam; tandem velint, aut nolint, debere *mori*. Rara hæc cogitatio migraturæ felicitatis poſſidentibus illam. At cum ſubit memoriam Felicis, cum terrore eſt, cum curis, cum peruigiliis. Nam quemadmodum *fluvius* ſuos habet gurgites, quibus in gyrum vertitur, & ibi periculoſior natanti, ubi hic convertitur: ita ipſa *felicitas*, quædam vertigo capitis eſt, ut id in felicitate ignorent felices, quod vident. Contra conſcientiam ſuam credunt felicitatem, quam experiuntur miſeriam. Sollicitantur timoribus, acquiruntur periculis, percelluntur damnis. Perindè in felicitate ſunt, ac miſerrimi, & contra ſui animi fidem colunt fortunam, quam ignorant miſeriam, cum videant, eſſe; tùm NOS RAPI, QUO CUNCTA FERUNTUR.



HÆC, MAVSOLÆUM, SUPERAT, MEMOR, URNA, SEPULCHRUM, ILLUD, QVIPPE, FORIS, HÆC, DECUS, INTUS, HABET,

Torquatus inv. C G v Jienam sculp

MAUSOLÆUM
SEPULCHRALE.

Sta, Vide, Luge, Lege

VIATOR.

Hic eſt

Quem legis; ille, quem requiris,

Toto notus in Orbe

JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS.

Virorum Solus, quia Regius

Decus Sueoniæ

Honos auguſtæ mentis

Decor Militiæ

Delicium ſuorum,

Ornamentum publicæ felicitatis.

Tandem, excuſatio Fortunæ.

QUI

Felicitatem non alio artificio, quam ſynceritate Virtutis;

Non tam quæſivit, quam invenit; & cum eadem uſus,

Cum eadem tenuit,

UT

Communis utilitatis amator; privatæ oblitus:

In laboribus patiens; adverſus mollia durus:

In periculis firmus; in arduis fidens:

In gerendis magnanimus; in geſtis modeſtus:

In adverſis conſtans; in ſecundis temperatus:

In utriſque idem; in omnibus invictus.

Vin' plura?

Non minus miraculum fuit *Fortunæ*, quam Virtutis.

Nihil *Tempori* nihil *Honori* deceſſit

Exceſſit *Tempus* & *Honorem*,

GLORIA.

Longævitate donatus, priuſquam denatus eſt

VIXIT

Non ſibi, ſed ſuis, ſed omnibus

Annis Sexaginta tribus:

Magno æſtimavit mori tardius,

Ne putaremus perire cum morimur, ſed transferri.

TANDEM
Poſt Bella, Victorias, Triumphos.
Poſt Honores, Titulos, & Inſignia.
Poſt experimenta multa Fortunæ,
Semel minus faventis, iratæ nunquam.

HOLMIÆ.

Suecorum, Gottorum, Vandalorumque
Vrbe Regiâ.

HEROS REGIUS.

Æra Chriſti Milleſima Sexcenteſima,
Supra Sexageſimam Tertia.
Vigeſima Februarii.

Planè
Anno ſæculi atque Ætatis Climacterico.

Vitam clauſit, æternam conſecutus.
Natus, ut moreretur; denatus ut viveret.
Mortalis fuit, futurus immortalis.

Mirare Viator

VIRTUTIS, HONORIS, GLORIÆQUE
COMPENDIUM.

In quo
VIRI REGII
Manet imitatio.
Servatur Memoria.
Colitur Exemplum.

PARODIA MORTALITATIS.

EHeu ſors Homini quàm data lubrica!
Quid Natura datis laudibus effera eſt?
Quid vanis Animus turget Honoribus?
Quid mundi titulos, Gloria parturit?
  Caducum & fragile eſt quod cupis ô Homo!
Et mortale bonum quod tibi vendicas,
Da Leges populis, juraque ſubditis,
Fac rubris Aquilas figere terminis,
Curras per Tanaim, ſubjicè quælibet;
Nil eſt. Sis domitor Lybiæ & Africæ,
Sis Orbis gemini Præſes & Arbiter,
Sis pulcher, Sapiens, nobilis, aut pius,
Nil eſt: Mortis erunt omnia quæ tenes.
Non doctrina moram nec pietas facit,
Non Te Nobilitas, nec tegit infula,
Nec Virtus, obitum, nec genus impedit,
Omnes ad ſimilem cogimur orbitam.
Mortis dextra favet, nec mihi, nec tibi.
Seu multum numeres, ſeu nihil in bonis:
Seu Cæſar fueris, ſeu quaſi Tullius,
Seu Titan veluti, mox tamen occides,
Una omnes capiet Ciſtula mortuos.
  Nil *Vita* eſt aliud, quam timor aſperæ
Mortis perpetuus. Non datur horula
Reſpirare tibi quâ licet unica.
Vita & mors paribus paſſibus ambulant,
Vives, *Noſce Mori*, poſt tua funera.

FINIS.

ARCUS
TRIUMPHALES

VIRTUTIS
HONORIS
GLORIÆ.

HIC.

Arduum VIRTUTI *Monumentum*
Quod humanam Naturam, ultra humana ponit,
Comes impoſuit LABOR.

QUO

In ORBE verſando.

Dum

Inſolitâ Virtutis mole
Immenſas Majorum dotes, Unus ſuperat

JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS.

Tranſgreſſus tenorem Humanæ Virtutis eſt
Ut Numen indueret:

Quod.

Spectaret Orbis, ut ſpectaretur:
Colerent Poſteri, ut colerentur.

Planè

Laboris *Atlas*, *Hercules* Virtutis.

ORBEM

Quem preſſit, tenuitque,
Infracta Cervice, Humeriſque tulit

Per

Ferrum,
Ignem,
Aquam
Aciem.

Vicit OPUS naturam.

Hanc fortius *Virtus*, quam *Fortuna* impulit.
Omnium capax meritorum debuit eſſe
Qui judicem cunctarum meruit habere Virtutum;

In Campo, Foro, Regia.

Ubique.

Cum non humanè agit, divinè agit, & agitur:
Similior immortalibus mentibus, quam morituro, quam Sibi.

In ipſo Virtutis Theatro

Sibi Flos, ſibi Apex, ſibi Gloria.

Ut humanam ſuperaret & facultatem & opinionem
Ultra ſpem progreſſus.

Solidæ VIRTUTIS *imaginem*.
CIVI. MILITI. POSTERISQUE.
Exhibuit.



NUNQUAM STYGIAS FERTUR AD UMBRAS INCLYTA VIRTUS

ODE VIRTUTIS.

VIrtus paterno gignita Traduce,
Virtus adultis inſita viribus
Virtus frequenti functa laude,
Indiciis, habituque creſcit.
Odit ſupinos Corporis habitûs.
Gaudet ſuperbum vertere verticem
Terræque ſplendens ſorde major
Cœlicolûm ſuperûmque ad Ædes
Intaminatis ſcandit honoribus.
Tutrix venuſtæ maxima Gloriæ
Ridet fucatas Orbis artes
Et fragilem popularis auram.
Virtute fas eſt nitier unica.
Fama ambienda eſt nobilis, hac viâ:
Virtus, ſibi quæ conſtat ipſa,
Eſt pretium ſibimet perenne.
Virtus, Parentes, Munia, Patriam,
Vitam, Penates, ſacra, Pecuniam,
Res, & Salutem, ſervat alma;
Omnia, quem penes eſt, habebit.
Virtute major *Marchio Regius*
Major ne VIRTUS: dicite Poſteri.
Vir traxit à Virtute Nomen,
Atque Viro valido aucta Virtus.

HIC.
HONOR-I
Sed in Honorem, PLUS ULTRA.

Nullum hîc Virtus poſuit terminum,
Quia ſinè termino ſunt Virtutis pretia.

QUO

JOANNES CHRISTOPHORUS KÖNIGSMARCHIUS

Regio non magis Nomine, quam Regiis Virtutibus
Reges æmulatus.

Non Honorum ſimulachris,
Sed veris Honoribus
Majorum auxit & recreavit ſplendorem.

Quippè

Poſt Comitatûs titulos & Inſignia,
Fortitudo Ducem Exercitûs fecit;
Regni Senatorem creavit Prudentia.

UTRUMQUE.

Provocarunt merita *ejus*
Spem Patriæ Libertatis pollicita.
Alterùm Militari Virtute,
Alterùm illuſtravit Conſilio.

Ut ad majora vocaretur
Munus hoc fuit, & compenſatio meritorum.

DUM

Prævio VIRTUTIS *apparatu,*
Utriuſque poſtea Ducatûs

BREMÆ & VERDÆ

Habuit

GUBERNATOREM.

Quo in Honore


Plurium Honores unus hauſit:
Quia Unus præ pluribus.
Servaturus omnes, tantundem, ac omnes, fuit.

Maximus planè Vir.
Imo plurimus Vir.

Sed rarus, ſed ſolus, ſed Phœnix Virorum.

TANDEM POST FATA QUOQUE

Inter gravidas periculis dignitates
Eorumque appetitus male tutos
Omnium Bonorum plauſu
Factus HONORIS, Honos.



AMPLISSIMUS IN HONORE GRADUS, EST HONORIFICA BENE ACTÆ VITÆ MEMORIA.

ODE HONORIS.

V*Irtutis* pretiumque præmiumque &
Recti Regula, maſculus HONOS eſt.
Æternum decus elegantis ævi
Cataphractus obit, minace quiſquis
Graſſatur fremebundus enſe Martis.
Qui fortis, Mare, Claſſicum, Triremes,
Ancili, jaculo, cetrâ, jubaque,
Rhomphæa, galeâque tutus audet
Inſtaurare, rudique militi, vel
Bellonæ, Ducibuſque Ductor ipſis
Mandatas vigili dare ore leges,
Et linguâ peditesque, militeſque
Gradivumque tuba ciere clara;
Huic prudentia, fortitudo Virtus,
Virûm pompa gravis ſeveriorum,
Fortunæque Magiſter omnis, almam
Victori referet Viro Coronam.
Inſultûs, HONOR hîc, tumultuantes
Frendentis premit altior Livoris.
Hic mentem afficit, hic titillat artus.
Orcheſtram, Superos, Togam & Tiaram
KÖNIGSMARCHIUS obligavit Unus.
Qui vitæ fuit hîc HONORE functus,
Etiam Mortis HONORE non carebit.

HIC.
Triumphus eſt
GLORIÆ.
Quam, æmulatio non anxit, aut Invidia non fecit:
Sola procuravit Virtus,
Cujus illa Currus eſt:
In quo vehitur
Miraculum fortunæ,
Idæa Felicitatis,
Fortitudinis prodigium.
Virtutum, Honorumque Theatrum.
SOLUS.
JOANNES CHRISTOPHORUS
KÖNIGSMARCHIUS.
Sine æmulo illuſtris.
Ut fines GLORIÆ extenderet,
An magè ſuper Invidiam triumpharet.
PRÆLIIS. VICTORIIS. TRIUMPHIS.
IMPERIUM
Germano-Romanum
Pervagatus:
Fortunâ ſuâ ſine dubio major,
Ejuſdem ſucceſſus,
Provocavit ut ſtrenuus:
Æquiparavit ut meritus:
Superavit ut melior.
Nuſquam magis
Eſſe, non videri debuit
Quam in PONTE Pragenſi
GLORIOSUS.
Ita
Quia tantum eſſe *non* videri *vult*
GLORIA.
In augmentum dum ipſa triumphat, Triumphi;
Idoneum Regii Nominis ſui Characterem.
In KÖNIGSMARCHIO *impreſſit.*
ATQUE
Ex PONTE *Frontem*
Livori, & Invidiæ
Si certare vel Triumphare vellet,
Oppoſuit.



UT MORS CUM EXTINXISSET INVIDIAM, RES EIUS GESTÆ SEMPITERNI NOMINIS GLORIA NITERENTUR.

ODE GLORIÆ.

LAudis excelſos apices petitæ
Attigit DUCTOR Sueonum tremendus,
Attigit veram celebrandus HEROS
Nominis anſam.
Prima, vixiſſe eſt populare, *Tempus*;
Altera, eſt *Vitam* ſuperis dediſſe;
Regibus dextram dare bellicoſis;
Tertia LAUS *eſt.*
Fata collimans tulit omne punctum
Marte ſubvectus dubitant an *Arte!*
Optimus DUX ſit, meliorne MILES,
Diſpicit Hoſtis:
Unicam poſt ſe ſobolem relinquit
Purpurus Phœnix. Geminum redonat
Filium, æqualem, *Patriæ*, Parenti
Regius Heros.
It KÖNIGSMARCHÎ memorem per orbem
Vita: quæ turbâ viget in Virorum
Poſterâ, & *Famam* parit; ac ab ipſa
MORTE, *reſurgit.*
Ringe Te LIVOR, nihil exta proſunt.
Occubet Victor, remanet Triumphans,
GLORIA, VIRTUS, HONOR, *Arma, Nomen,*
Lauſque, Decuſque.

J. L. BLASII, JC[ti.]

LACHRYMÆ REGALES,

SIVE

Ad Excellentiſſimum Generoſiſſimumque Virum,

Proſapiâ pariter ac Eruditionis Virtutiſque fulgore conſpicuum,

DOMINUM

ALEXANDRUM JULIUM TORQUATUM,

Lib. Baron. in Novy, Monoſtyr & Cirquenitz,

Nuper

S[r.æ] Majeſtatis Suæcicæ ab Expeditionibus Scythicis, Valachricis & Trans-Sylvanicis Ablegatum *ampliſſimum*,

SUPREMIS

Invictiſsimi Herois *Arctoi*

JOAN. CHRISTOPH. KÖNIGSMARCHII,

Magni ſupra Laudem & Invidiam Viri,

FATIS

Magnificè Parentantem,

SCAZON.

DEplorat atram noctis invidæ lucem,
Gothicum Hectorem, deplorat Herculem Arctoum,
Quiſquis piandos obtulit Jovi Tauros.
Lugent Penates, & Trophæa langueſcunt,
Victoria marcet, Suæciæ jacet dextra
Jacente KÖNIGSMARCHIO; ſeneſcentes
Feſſoſque glorioſa Numinum ſellis,
Aſtriſque dum tranſcribit Artuum molem,
Vividique reddidiſſe Spiritûs robur,
Non æmulandum, Cœlitum choro gaudet,
Non gaudet Orbis Sueonum. Facit buſtum
Commune. Patriam, Purpuram, Lares, Campos,
Viduos, Pupillos, Incolas, Peregrinos,
Omneſque triſtis efficit dolor triſtes.
Gradivus horum gaudet omnium ſolus,

Qui

Qui quippe veritus ne ſagum Triumphantis
Herois etiam pingeret ſuo vultu,
Et victus Homini cederet Deus præda.
O ſors cruenta! Parca dura! crudele
Fatum! nec expiabile Manibus coeſis.
Tantumne meruit Inclyti KONIGSMARCHII
Illuſtre genus, ut ultimam ſatur laudum
Imponat Heros apparatibus dextram?
Ipſumque vincat Mors nefanda Victorem,
Ab Hoſtibus qui eſt ne quidem ſemel victus.
Si ſparta talis obtigiſſet adverſis
Victoriæ turmis, vel Imperatori
Faviſſet, aliive potentiori oræ
Non fata Bœmus funerumque tot caſus,
Non Weſt-phalus, non tincta cædibus Cimber
Ploraret ora, nec parentium Lauros
Suſpenderet Pragenſium Coloredus,
Quo Civitatem dormiente Præfecto
Non enſe pugnaturus, at Triumphatu
Rus intrat, Martiumque pulverem ſpargit.
Potuiſſet heic ſi vincier, Palatinas
Non Victor arces ſubdidiſſet inſignis,
Toties nec novos ſumſiſſet Hic Paludatus
Faſces ADOLPHI, nec ferâ Laborantem
Globoſque ſpumantem cohorte Mavortem
Stitiſſet unus Civitatis Aſſertor.
Thuringus, aut Pannonius, Bohemuſve,
Aliave gens inimica non habet Laudem
Morientis. Aquila non ſubegit invictum
Nec Italus, nec Cantaber, nec Alcides
Rex Chriſtianus, nec Cleruſcus, aut Finnus.
Lex ſola Fati, morſque ſola proſtravit,
Vicitque KÖNIGSMARCHII Caput ſacrum.
Comes, Senator, Militum Mareſchalle,
Vir ſumme, fortis Hoſtium Triumphator,
Nil ultra tuæ vixiſſe clarior genti
Poteras, nec unquam dignius mori invictâ
Virtute; dum conſcendit omnium culmen
Tua ſors honorum. Jamque Olympus expoſcat
Te, tempus eſt, ſublimiore ſublimen
Sublimis oſtro, præliantis orcheſtram
Tumultuantem Exercitûs vigil quo Tu
Sublimiore ſede tutus exſtinguas.

Ge-

Gemiſcit Orbis, & dolet Caballinæ
Sititor undæ; imò chorus Novenarum.
Plangit Dearum. Luctui modus non eſt.
Reboant viciſſim Terra, Pontus & Cœlum.
Torquate, non indigna Manlii proles;
Gentiſque Torquatæ, quibus ſtetit Roma
Statoribus; diſerte Vir, potens fandi,
Splendor Tuorum, cujus incubat labris
Medulla Suadæ, Tulliique Majeſtas,
Quàm Sceptra Tibi Soliumque, Purpuraſcenque
Regale devincis Ebur! cothurnatis
Dum ſumma verbis Regna jure tranſcendis
Luctumque Königsmarchii, licet genti
Communem Eoæ, tu tuum facis ſolum,
Triſtiſque juſſu Suæciæ Senatorum
Oratione dicis hunc parentanti.
Legi, relegi, maximoſque conatus
Stupui, fateorque quod petacibus chartis
Tuiſque dictis, præficæ quibus munus
Geris, demi nil debeat, nihilque addi.
Hoc eſt litare Manibus ſupervictis!
Hoc eſt lugere propera fila Parcarum!
Hoc eſt Capillos taxeâ comâ pullos!
Hoc eſt Cupreſſo nubere ora ferali!
Quieſce Königsmarchii, quieſce Umbra;
Funeſtus eheu! Morte glorioſus fit
Dies tuâ. Torquatus hunc perennantem
Declamat, altoque altus invehit Cœlo.
Afflictionum illud ſüave ſolamen
Exoſculentur Filii tui bini.
Si Tu parens unum modo reliquiſſes,
Membris fuiſſes omnibus Tibi Phœnix,
Nunc es minus, propter pares tuos natos,
Qui ſunt Tibi ſimiles tuæque Virtuti.
O Magne Comitum ſplendor! ô Senex fide,
Tot feſſe pugnis, tot laboribus fracte,
Tot noctibus, tot præliis fatigate,
Audi dolentem, audi Tibi Parentantem,
Audi gementem nobilemque Torquatum,
Cujus Lachrymis Belga Mœſtus involvor.
Heic capricamur laudibus tuis Heros.
Heic erudito Phœbus ingemit leſſu.
Heic irrigamus ora fonte Libethræ.

Heic

Heic Hippocrenen, Amſtelæque Pyrenen
Cyrrhamque bibimus, quò Viro Triumphanti
Tibi canamus; Teque rite plangamus
Cum pallido ore, planctibuſque TORQUATI.
Aulæa vos lugete; vos Senatores
Dolete ademptum; BREMA Tu Gubernantem
Heroa geme; vos fulcra firma Suecorum
Regnique veſtri Regulique regnantis,
Dum culmen Aulæ forniceſque ſordeſcunt,
Plorate. Sed gaudete rurſus, ò Patres
Singultientes, vos eo viro nactos,
Quem plorat Urbs & Orbis omnis exſtinctum.
Felicem Achillem, qui ſibi floreſcentem
Præconem habet Homerum, putet Alexander.
Arctoa Tu felicior plus es Tempe,
Quæ nacta KÖNIGSMARCHIO Triumphante:
Felixque KÖNIGSMARCHIUS manumiſſus,
Qui Nobiliſſimo Barone TORQUATO &
Præcone JULIO nactus eſt ALEXANDRO.

Meditando.

JOAN. LEON. BLASIUS,
J.U.D. & in Illuſtri Batavorum Curiâ Advocatus.

Ad Amſtelam,
Ipſis Sextilis Idibus.
CIƆ IƆC LXIII.

SPECIAL 89-B
FOLIO 13250